

Zur

FLORA TIROLIS.

I. Heft.

Dr. Facchini's

FLORA VON SÜDTIROL.

Mit einem Vorworte und Anmerkungen

von

Fr. B. v. Hausmann.

Innsbruck.

Druck der Wagner'schen Buchdruckerei.

1855.

subiecto raro, sicut minime raro, utriusque inchoatione sollicitum
naturae sunt, quod te ambo non nisi propter clementem lucis lucis
sol natus, et nullum misticum obit, nescire possit, omnibus inchoatis
superioribus, et inchoatione, et inchoatione, et inchoatione, et inchoatione,
et inchoatione, et inchoatione, et inchoatione, et inchoatione, et inchoatione.

FLORA TIROLIAE CISALPINAE

auctore

Dr. Francisco Facchini.

„Nullus speret bene cognoscere (species) ex paucis
individuis, et praesertim ex sicco.“

Bertoloni fl. ital. II. 541.

„In horto plures species distinguas, investigatione
montium alpiumque evanescentes.“

Koch synopsis ed. L p. 261.

Observatio I. Non possum quin demirer eos, qui in ea
sunt sententia stirpes nullas esse solo peculiaris indolis proprias, vel
quae in eo copiosius vigeant. Inter quos clarissimus vir, quo in
dissipandis et diluendis somniis commentisque scriptorum de mutatis
formis non surrexit major (conf. C. H. Schultz die Anaphythose p.
141). Ii in eam forsan ducti fuerunt opinionem, quod aliqui rem
nimis urgerent, exemplis fulti vitiosis. At ego diutina firmatus ob-
servatione sequentia statuo. Saxum, a quo, respectu ad rem de qua
agimus, solum pendet, est graniticum aut calcareum. Inde solum
calcareum aut graniticum, nec plures ordines oportet distinguere,
cum ad hos quoad affectus in plantas, omnia redeant genera. Saxum
graniticum est granites simpliciter dictus, granites schistosus, saxum
porphyricum et saxum trappicum (barbaris Melaphyr). Verum in
dijudicanda soli indeole oportet sedulo observare an mixtum sit an
purum. Ad montem Glockner in Tirolia orientali et Carinthia su-
periore solum est mixtum, quamvis habeatur pro granitico-schistoso,
intercurrente passim inter saxum schistosum calcareo. Ex ea mistione
ditissima et ubertissima specierum varietas in illo monte, et in omnibus
si natura loci ferat, solo istius modi mixto. Hinc paupertas diver-
sarum specierum in alpium tractu ubi solum graniticum purum.

VIII

Supersedeo enumerationi stirpium, quas statim necat solum speciale, si ad illud transeant; non enim heic aptus est locus. Hoc tantum advertam quasdam etiam dicendas solo cuidam peculiares, si in hoc frequentissime, in diverso rarissime occurrant, ut e. g. *Trifolium alpinum*, planta granitica rarissime crescens solo calcareo. Non enim sunt regulae sine exceptione. At quis sanus habebit exceptionem pro regula? In natura nil perpetuum est; haec est pulchritudo Naturae, quod omnia ordine vario disposita sint.

Observatio II. Formas hybridas dari in hoc libro pluries ostendimus; at negant summi in arte magistri specierum loco esse habendas. Sunt enim formae transitoriae, ex fortuito connubio ortae, pereuntes, iterum generandae et periturae. Quae propter summe variabiles, nunc magis ad unum parentum accedentes, nunc magis ad alterum. Speciei essentialis character est „continuata generatio.“ Species dicendae plantae „ex consimili natae et similem pariturae“ (Jussieu Gen. praef. p. XXVII.) „Novas species dari in vegetalibus negat generatio continuata“ (Linné Philos. bot. § 157). Quaenam est speciei conceptus? An quis dabit speciei definitionem aptam legibus artis et critices respondentem absque idea continuatae generationis? Nullus ex summis botanicis formas has dixit species, sed „proles hybridas“ (Linnaeus) „hybridas progenies“ (Candolleus). Ubi summi in arte magistri formas hybridas negarunt esse species, quid audemus nos pygmaei? Nonne nos a Natura perpetuo ludificatos deprehendimus, quae formas illas, quas nos species hybridas dicimus, illis locis persaepe producit, ubi parentes omnino desiderantur? Nonne futurae aetati, et hujus hercle illis qui sapiunt, risui et contemptui erimus ineptissimi statuentes dari prolem sine parentibus. Fecundationem juvant insecta: Apum plures species: *A. violacea*, *terrestris*, *lapidaria*, *muscorum* etc. strenue circumvolitantium, pollen a planta ad plantam ferentium; imitatione fecundationis artificialis.

**Elenchus plantarum,
quas in Tirolia cisalpina collegit
Dr. Facchini.**

NB. Tirolia est provincia. Tirolis castellum. Barbarologi scribunt: Tyrolis, et sunt soli Botanici.¹⁾ Tirolia cisalpina est mihi ut Romanis „Gallia cisalpina.“

I. Cl. Monandria.

Hippuris vulgaris L.

Callitricha stagnalis Scop.

C. verna L.

G. autumnalis auctorum meridionalium²⁾ quae est *C. vernalis* varietas foliis linearibus.

C. autumnalis auctorum septentrionalium: in fossis ad lacus di Piné.

II. Cl. Diandria.

Lemma trisulca L. — *L. minor L.*

L. gibba L. In fossis prope Salurn.

Ligustrum vulgare L.

*Phillyrea latifolia L.*³⁾ In Tirolia austro-occidentali ad lacum di Toblin.

P. stricta Bertol. fl. italica L. 43. Ad latera montium lacui Benaci imminentium in ditione Brixensi. Obs. A cl. Ber-
tolonio determinata flore et fructu carens.

Syringa vulgaris L. In proximitate hortorum in quibus colitur, quasi sponte.

Fraxinus Ornus L. Locis calidioribus et temperatis Tiroliae meridionalis usque ad supremam regionem Zeae Mays cultae.

F. excelsior L. In sylvis Tiroliae meridionalis rarissima in monte Tatoga districtus di Primiero.

Jasminum officinale L. In sepibus artificialibus rarissime, locis calidissimis; ergo planta culta nec sponte proveniens.⁴⁾

Circaeа lutetiana L. In demissis calidioribus.

C. alpina L. In subalpinis et alpinis. Forma major in silvaticis humilioribus nascens: *C. intermedia Ehrh.* quae cum persaepe a *C. alpina* aegre distingui possit, conjungenda.

Veronica scutellata L. In fossis, infrequens.

V. Anagallis L.

V. Beccabunga L. In demissis, et forma minor in subalpinis editioribus.

V. urticifolia L. (*urticaefolia Barbaris* a corrupto latino: *V. urticeae folio*).

V. Chamaedrys L. — *V. officinalis L.* — *V. aphylla L.*

V. postrata L. — *V. latifolia L.*

V. spicata L. Obs.: Ad tres praecipuas varietates reduci possunt formae diversae: 1) major, pedalis et sesquipedalis locis calidis ad montium radices; 2) minor, pubescens, in montanis; 3) glabra, in montanis demissioribus; haec in Valsugana. — Rarissime occurrit spicis pluribus. Corollae laciniæ contortæ varietatem constituere nequeunt, cum non raro occurant in eodem individuo corollæ laciniis tortis planis intermixtae.

V. bellidioides L. — *V. alpina L.*

V. fruticulosa L. In temperatoriibus, solo calcareo.

V. saxatilis L. In subalpinis et alpinis, solo granitico.

V. arvensis L. — *V. verna L.* — *V. triphyllos L.*

V. serpyllifolia L. In demissis, montanis et alpinis. Obs.

V. Allionii Sternb. est *V. serpyllifolia*.

V. agrestis L. In Tirolia australi admodum rara.

Veronica didyma Ten. V. opaca et polita Fries. In tota culturae regione. Variat seminum numero, et pube capsularum simplici, vel parcus aut copiosus glandulifera.

V. Buxbaumii Ten. Locis calidioribus et temperatis frequens.

V. hederifolia L.

Paedarota Bonarota L. In Tirolia australi ad rupes calcareas frequens. Variat rarius: foliis lanceolatis.

P. Ageria L. In Tiroli austro-orientali in Districtu di Primiero et conterminis alpibus Feltriensibus. Obs. Stamina corolla longiora, antheris exsertis. Folia interdum breviora P. Bonaratae aemula.

Gratiola officinalis L. In Tirolia australiore.

Pinguicula alpina L.

P. vulgaris L. In montanis demissis et elatioribus, nec non in alpibus. Capsula ovata et subgloboso-ovata.

P. grandiflora Lam. Locis frigidioribus montanis et alpinis. Capsula oblongo-ovata vel oblongo-conica. Obs. Dantur tamen inter hanc et praecedentem formae intermediae.

Utricularia vulgaris L. ⁵⁾

U. minor L. In regione montana media Tiroliae meridionalis centralis rara.

Lycopus europaeus L.

Salvia glutinosa L.

S. Sclarea L. Prope Roboretum quasi sponte proveniens.

S. pratensis L. Corolla ex cyaneo violacea, rarius rosea vel alba.

S. verticillata L. In demissis et montanis, in tota culturae regione, rarius.

Rosmarinus officinalis L. Ad rupes lacui Benaco in-cumbentibus prope Campione abunde.

III. Cl. Triandria.

Valeriana rubra L. In regione Athesina ad collium et montium pedes, locis saxosis et rupestribus, rario. Flores rarissime albi.

V. officinalis L. In montanis subalpinis. *Obs.* Scriptorum varietates parvi aestimanda, et oratione continua describenda; ut progressionem continua formarum in natura occurront.

V. dioica L. — *V. tripteris L.* — *V. montana L.*

V. supina L. In alpibus calcareis Tiroliae austro-orientalis.

V. saxatilis L. A regione superiore vitis ad alpes, solo calcareo. *Obs.* A scriptoribus quibusdam habita pro *V. celtica*, planta soli granitici vel mixti, quae mihi ex Tirolia meridionali nondum innotuit. ⁶⁾

V. elongata L. Ad rupes calcareas Tiroliae austro-orientalis in subalpinis et alpinis.

Valerianella olitoria Mönch.

V. carinata Lois. In agro Bulsanensi rarissima.

V. Morisoni DC. Var.: leiocarpa et lasiocarpa in tota culturae regione Tiroliae australis passim.

V. Auricula (dentata) DC. Fructibus glabris in Tirolia calidiore passim; fructibus pubescentibus rarius.

V. coronata DC. (hamata Bast.) In Tirolia calidiore magis australi.

Montia fontana L. In Tirolia meridionali, orientali et occidentali, in demissis et subalpinis, non ubique, nec omnino rara, ad scaturigines et in fossis non profundis; solo granitico. ⁷⁾

Polyneum arvense L. In districtu di Fiemme; ad lacum Benacum prope Riva, rarissimum. ⁸⁾

Iris pallida Lam. In montanis prope Tridentum et Roboretum; in ditione Brixensi ad lacum Benacum.

I. germanica L. In demissis ad vineas aliisque locis calidiorebus Tiroliae meridionalis, e planta culta quasi sponte proveniens.

Iris sambucina auctorum. I. squalens Bertol. fl. ital. In pratis aridis declivibus, rara. In districtu di Fiemme, Val di Ledro, di Primiero etc.

I. Pheudo-Acorus L. In demissis calidioribus.

I. graminea L. In valle di Vestino Tiroliae austro-orientalis occidentalis, rarissima.⁹⁾

Gladiolus palustris Gaud. G. triphyllus Bertol. In Tirolia australiore orientali et occidentali rarius et prope Bellunum in Italia septentrionali in regione vitis et paulo supra, locis palustribus, vel tantum udis, etiam sylvaticis. Flores duo, tres ad decem usque.

G. segetum Gawl. G. communis Bertol. In vineis agri Roboretani Tiroliae australioris, rarus.

Crocus vernus L.

C. sativus L. Prope Bulsanum (Botzen) locis apries calidis ad agrorum margines, quasi sponte; quod argumento est, ibidem ante hac fuisse cultum.

Rhynchospora alba Vahl. In Tirolia austro-orientali rarissima: in Piné, supra Telve in Valsugana.

Schoenus nigricans L. In demissis.

S. ferrugineus L. A suprema vitiis regione ad supremam culturae in Tirolia australi centrali.

Cladium Mariscus R Br. In lacubus Tiroliae meridionalis.

Scirpus caespitosus L.

S. pauciflorus Ligth. In montanis et subalpinis Tiroliae temperatae et frigidioris.

S. mucronatus L. Inter Bulsanum et Sigmundseron ad viam olim lectum nunc cultura deletum evanuit.¹⁰⁾

S. lacustris L.

S. Tabernaemontani Gmel. In Tirolia australi centrali, infrequens.

S. triquetus L. Prope Bulsanum et Salurn in valle athesina.

S. Holoschoenus L. In demissis Tiroliae australioris, et prope Bulsanum ad lacum Benacum in ditione Brixieni.

S. maritimus L. In valle Athesina.

Schoenus sylvaticus L. — *S. compressus Pers.*

Heleocharis palustris R. Br. — *H. uniglumis Lk.*

Fimbristylis dichotoma Vahl. In arenis Medoaci majoris prope Pataviam. *Obs.* In Tirolia meridionali (inter Botzen et Meran) quam cl. Kochius cum F. annua inter Botzen et Meran iterato indicat, non reperiat lustrans si quaerat ipsa Ceres.¹¹⁾

Eriophorum alpinum L. — *E. vaginatum L.* — *E. capitatum Host.* — *E. latifolium Hp.* — *E angustifolium Roth.*

Cyperus flavescent L. — *C. fuscus L.*

C. longus L. In Districtu di Riva ad lacum Benacum.

C. Monti L. Prope Bulsanum et in reliqua valle Athesina.

C. glomeratus L. In Tirolia austro-orientali in Valsugana ad fines Bassanensium, prope Athesim ad fines Veronensium.

Leersia oryzoides Sw. In Tiroli meridionali centrali prope Bolzano et Lana.

Alopecurus agrestis L. In agris et vineis vallis Athesinae.

A. geniculatus L.

A. fulvus Sm. Species minus bona. In montanis et subalpinis.

Phleum Michelii All. In monte Baldo; ad montem Glockner; in districtu di Primiero.

P. Böhmeri Wib. — *P. pratense L.*

P. alpinum L. Multum variat racemi forma, aristarum longitudine, et pube et per formas intermedias sat frequentes *P. pratensi* conjugitur.

Phalaris arundinacea L. In valle Athesina.

Holcus lanatus L.

H. mollis L. Ad agrorum margines in Canal San Bovo; in Ridnaun districtus Sterzing.

Hierochloa borealis R. Sch. Semel lecta ad torrentem Avisio prope Campitello districtus di Fassa. Illuc ab aquis montium delata.

H. australis R. Sch. In demissis et montanis calidioribus.

Anthoxanthum odoratum L. Ad montium radices et in summis alpibus.

Milium effusum L. In sylvis opacis montanis et subalpinis.

Panicum Crus galli L. — *P. sanguinale L.*

P. ciliare Retz. Species minus bona per formas intermedias cum *P. sanguinale* conjuncta.

P. glabrum Gaud.

P. undulatifolium Arduin. In valle Sugana prope fines Bassanenses ; prope Bulsanum.¹²⁾

Setaria verticillata Beauv. — *S. viridis Beauv.* — *S. glauca Beauv.*

S. germanica Beauv. In campestribus di Piné districtus di Civezzano.

Tragus racemosus Desf. In demissis calidioribus.

Piptatherum multiflorum Beauv. In rupibus ad lacum Benacum in ditione Brixensi et Tirolensi.

Lasiagrostis Calamagrostis Lk. Locis calidis et temperatis.

Stipa capillata L. In agro Bulsanensi ; in valle Venosta.

St. pennata L. In calidioribus ad montium radices.

Agrostis vulgaris With. A. stolonifera L. et auctorum. Prior forma in herbidis, aridis, silvaticis ; altera ad aquas. Cum tot sint et tam copiosae formae intermediae, quas nescias ad utram referas, consultius est conjugere.

A. canina L. In ditione Bulsanensi ; in valle Sugana rarissima.

A. alpina Scop. — *A. rupestris All.* — *A. spicaventi L.*

Calamagrostis litorea DC. — *C. Epigejos Roth.*

C. Halleriana DC. In subalpinis et alpinis, solo granitico.

C. tenella Host. Praecedente rarer, solo granitico.

C. montana Host. In regione montium media, frequens.

C. silvatica DC. In Tioli australiore.

Arundo Donax L. Ad lacus Benaci oras quasi sponte, rara et rarius florens.

Phragmites communis Trin.

Cynodon Dactylon Pers. Locis calidis et temperatis humilioribus.

Aira caespitosa L.

A. flexuosa L. Forma panicula contracta est *A. montana L.*

Aira capillaris Host. In planitie Athesina et in collibus.
Flos alter vel uterque aristatus ut in *Arrhenathero elatiore*.

Avena sativa L. Ad vias locis ubi in agris colitur.

A. fatua L. Occurrit rarissime glumis exterioribus glabris.

A. pubescens L. et *A. lucida* Bertol. Folia et vaginæ pubescentia vel glabra. Radix fibrosa subrepens: Schrad. ¹³⁾

A. pubescens var. *amethystina*. A. *amethystina* DC. Koch.

Obs. Potest quidem juxta observationes hucusque factas ut propria species ab *A. pubescente* satis distincta proponi et tueri; at poterunt in posterum formae intermediae utrasque connectentes reperiri. In Monte Baldo; in monte la Becca ditionis Roboretanae; in valle di Ledro.

Avena pratensis L. In montanis, subalpinis, et alpinis.

A. versicolor Vill. In montanis editioribus, subalpinis et alpinis.

A. sempervirens Vill. In subalpinis et alpinis, etiam in monte Baldo, solo calcareo, infrequens.

A. flavescens L.

A. alpestris Host. In Pustaria orientali, in alpe dicta Kirschbaumeralpe in regione silvatica suprema; in Gardena ad fines districtus di Badia, supra arborum terminum; in Judicariis ad fines vallis di Ledro, ubique solo calcareo. *Obs.* Locustae rarius totae auratae.

A. distichophylla Vill. In alpium praeruptis saxosis, vel terra nuda.

A. argentea W. In herbidis apricis et rupestribus, vulgaris, solo calcareo in regione montana et subalpina.

A. subspicata Clarion. In alpibus editioribus: Schleern, Brenner. Arundo pygmaea Pollini Fl. veron. I. tab. 1. Icon mala ad exemplar imperfectum (conf. Reichenb. fl. exc. Nr. 341). Cl. Sprengel, qui exemplar Pollinio dedit, habet pro *Avena Löfflingiana*, quae hucusque in Italia desideratur (conf. Sprengel system. veget. I. 333).

Arrhenatherum elatius M. K. Ad montium pedes in Tiroli calidiore. Occurrit non raro flore utroque aristato, aristis aequalibus.

Danthonia provincialis DC. Prope Roboretum.

Triodia decumbens Beaur. In regione montana media, et inferiore passim.

Sesleria caerulea Ard. In imis montium et in summis alpibus.¹⁴⁾

S. tenella Host. In alpibus graniticis Tiroliae cisalpinae euro-borealis in Pustaria; in alpibus districtus di Fassa, solo granitico, et calcareo puro.

S. sphaerocephala Ard. In alpibus regionum frigidiorum.

S. disticha Pers. In alpibus graniticis.¹⁵⁾

Poa annua L. Variat in palustribus, radice breviter in arenosis longe regente: *P. supina Schrad.*

P. laxa Haenk. In alpinis solo granitico.

P. minor Gaud. In alpinis et subalpinis, solo calcareo.

P. bulbosa L. Variat vivipara.

P. alpina L. In alpinis, subalpinis, montanis, et demissis calidioribus: haec *Poa badensis Haenke.*

P. caesia Sm. In alpinis Tiroliae austro-orientalis in Gardena, in Fassa.

P. nemoralis L. Varians rigiditate culmi, numero florum in spiculis, et colore, juxta variam locorum conditionem.

P. fertilis Host. In demissis calidioribus rarer ac *P. trivialis.*

P. trivialis L.

P. sudetica Haenk. In subalpinis et alpinis regionum frigidiorum, in primis Tiroliae austro-orientalis.

P. hybrida Gaud. In silva subalpina: Latemar districtus Karneid, et alibi (loco incerto mihi cum *P. sudetica* commixta, cum non distinxisset, et forte non distinguenda).

P. pratensis L. Var. latifolia et angustifolia.

P. cenisia All. In subalpinis Tiroliae austro-orientalis.

P. compressa L. In demissis et temperatis montanis vulgaris.

Eragrostis megastachya Lk. In imis vallis Athesinae. A. sequente non satis distincta.

E. poaeoides Beaur. (melius poodes). In demissis calidis passim.

Eragrostis pilosa Beauv. In calidioribus demissis.

Glyceria fluitans R. Br.

G. distans Wahlb. In valle Venosta, et prope Meran, prope Klausen.

G. aquatica Prestl. In ditione Bulsanensi prope Sigmundseron; in Seiseralpe ad arborum terminum.

Briza media L.

Melica ciliata L. — *M. nutans L.*

M. uniflora Retz. Ad confinium ditionis Brixensis, rara.

Molinia caerulea Mönch. Varietas major in siccis calidioribus et silvaticis.

M. serotina M. K. In valle Athesina, in ditione Bulsanensi et cetera parte australiori.

Kölheria cristata Pers.

K. hirsuta Gaud. In alpibus graniticis rarius.

K. phleoides Pers. In ditione Brixensi ad lacum Benacum.

Dactylis glomerata L.

Cynosurus cristatus L. In montanis Tiroliae australioris.

C. echinatus L. Ad orum lacus Benaci.

Festuca rigida Kunth. In valle Athesina et ad lacum Benacum.

*F. Myurus L.*¹⁶⁾ F. ciliata DC. huc pertinet, ut luculenter patet ex annotatione, quam Linneus subjicit F. bromoidi in Sp. pl. p. 410 Nr. 10. In Tirolia maxime australi et finitima provincia Veronensi, e. g. prope Riva ad lacum Benacum.

*F. bromoides L.*¹⁷⁾ In valle Athesina, passim. Occurrit culmis superne longe nudis et vaginis totis tectis, et per omnes gradus longiore vel breviore tractu nudis etiam in individuis mistim crescentibus.

F. Halleri All. F. Gaudini Kunth est Festucae Halleri forma gracilior in rupium umbrosis et earum antris crescens.

F. duriuscula L. F. violacea Gaud. F. heterophylla Lam. F. nigrescens Lam. F. rubra montana auctorum. Hae omnes species Auctorum nil aliud sunt, quam variae formae continua progressionem ab altera in alteram transeuntes. Etenim F. Halleri,

alpina et ovina distinguuntur unice paniculae ramis brevibus vel paulo longioribus, simplicibus vel parce ramosis. F. duriuscula est forma media inter F. ovinam et heterophyllum et rubram montanam, cum numerosae frequentesque formae reperiantur foliis culmeis canaliculatis, semicomplicatis, radice brevissime et breviter repente, et surculifera. Festucam violaceam Gaud. alii describunt foliis capillaceis (Gaud. I. 278) alii planis (Fl. silesiaca I. 86), cum revera utroque modo variet, culmis ceterum etiam pedalibus. Quin et F. duriuscula describitur a quibusdam foliis culmeis complicatis, et setaceis, ab aliis planis (conf. Schrader germ. p. 329, vel modo planiusculis, modo convolutis (conf. Bertol. fl. ital. I. p. 606).

Festuca varia Haenk. In calidioribus demissis est spiculis pallidis vel flavescensibus, in alpibus ex purpureo violaceis.

F. pumila Vill. Variat spiculis auratis.

F. pilosa Hall. fil. In montanis Tiroliae australioris et orientalis.

F. breunia Facchini. F. Paniculae ramis semiverticillatis, spiculis multifloris, foliis culmeis planis. A. F. pilosa, cui cetera similis, differt, praeter allatas notas, statura majore, culmis sesquipedalibus, et altioribus, quamvis locis frigidis et sterilibus crescat. Spiculae 6- et 8-florae. Planta, quam cl. Gaudin in flora helvetica I. p. 304 describit et ad F. eskiam DC. refert, eadem ac haec nostra esse videtur. In valle Ridnaun districtus Sterzing ad occidentem montis Brenner, et in opposito monte Schneeberg in valle Passeier, a regione suprema culturae ad regionem alpinam medium; in alpe Giumella districtus di Fassa; in herbidis clivosis, saxosis, rupestribus, solo granitico. Observavi annis 1844 et 1845. A Breunis populis dicta, qui monti Brennero nomen dedisse creduntur.

F. spectabilis Jan. In glareosis, saxosis et rupestribus, in regione montana inferiore, media, et superiore Tiroliae australis finitimaque Italiae septentrionalis, solo calcareo.

F. spadicea L. In pratis et pascuis subalpinis, solo granitico.

F. sylvatica Vill. In sylvis acerosis rara,

Festuca Scheuchzeri Gaud. In subalpinis et alpinis Tiroliae-austro-orientalis, solo calcareo.

F. gigantea Vill. — *F. elatior L.*

F. pratensis Huds. In montanis et subalpinis vulgaris. *Obs.* *F. loliae* est forma *F. pratensis* spiculis distantibus, vel frequentibus exacte sessilibus (quamvis scriptores e. g. Schrader, Koch, Willdenow et alii Ehrhartum describentes [Beiträge VI. 133] spicas subsessiles dicant) vel brevius pedicellatis, solitariis vel infimis geminis, quae cum communi forma per gradus continuas jungitur. Cum *Lolio* perenni pro quo saepe haberi autumat cl. Smith (fl. brit. I. p. 122), nisi segni omnino examine, confundi non potest.¹⁸⁾ Haec in Tirolia meridionali sporadice.

Bromus secalinus L. — *B. racemosus L.*

B. mollis L. — *B. arvensis L.*

B. patulus M. K. In agris Tiroliae calidioris australioris.

B. squarrosum L. — *B. asper Murr.*

B. erectus Huds. — *B. sterilis L.*

B. tectorum L. *Obs.* Biennis occurrit quotannis in monte Pra da Molin di Fassa paulo infra abietis terminum.

B. madritensis L. In Tirolia maxime australi e. g. prope Riva aliisque locis ad oras lacus Benaci, ubi et forma: panicula congesta colorata reperitur: *B. rubens* Murray, Host.

Lolium perenne L. — *L. temulentum L.* In agris rarius.

L. Boucheanum Kth. *L. italicum A. Br.* In districtibus Riva, Arco, Vezzano. Forma mutica a forma multiflora *Lolii* perennis aegre distingui potest.

L. temulentum L. In agris rarius.

L. robustum Reichenb. *L. speciosum Stev.* in Marschall fl. tauro-caucasica I. 80, cuius definitio est „*L. spica* subaristata, calyce multifloro flosculis longiore“ Omnia haec cum planta Tirolensi optime congruunt. Flores inferiores modo magis distantes, modo magis approximati et compacti modo pauciores 3—4, modo plures 6—7; hinc bractea flores subaequans vel superans. Arista in floribus inferioribus interdum longior, tenuis tamen et gracilis et tortuosa; in superioribus brevis et flavescens. *Obs.* In Italia

observatae formae intermediae cum praecedente conjungentes. In agris tritico satis Tiroliae australioris finitima eque Italiae septentrionalis, abunde :

Triticum repens L. Variat in demissis calidioribus intense glaucum, glumis exterioribus muticis obtusissimis.

T. caninum Schr.

Brachypodium silvaticum R. Sch. In demissis calidioribus.

B. pinnatum Beauv. Variat vaginis glabris et pilosis.

Hordeum murinum L.

Nardus stricta L. In alpinis et subalpinis, etiam in aridis.

Andropogon Ischaemum L.

A. Gryllus L. Ad lacum Benacum, in Valsugana.

Heteropogon Allionii R. Sch. Prope Bulsanum et Meranum; ad lacum Benacum.

Sorghum halepense Pers. In vineis prope Roboretum, prope Riva ad Benacum.

IV. Cl. Tetrandria.

Globularia vulgaris L. — *G. cordifolia L.*

G. nudicaulis L. In Tirolia australiore.

Dipsacus pilosus L. — *D. silvestris Mill.*

Knautia longifolia Koch. In subalpinis et alpinis.

K. silvatica Dub. In Tirolia meridionali et Italia septentrionali, rarius.

K. arvensis Coult.

Scabiosa gramuntia L. In Tiroliae meridionalis calidioribus et temperatis.

S. Columbaria L. In montanis.

S. lucida Vill. In alpinis et subalpinis.

S. vestina Facchini. In regione montana inferiore et media Tiroliae austro-occidentalis, et finitima provincia Brixensi, in valle di Vestino et conterminis Judicariis.

S. graminifolia L. In Tirolia australiore ab imis vallium ad supremam regionem Mori albae cultae, varietas glabra iisdem locis, rarer.

Scabiosa Succisa L. In demissis, montanis et subalpinis.

Galium Cruciatum L. — *G. vernum Scop*

G. pedemontanum L. Prope Telve.

G. tricorne With. In agris prope Roboretum.

G. Aparine L. — *G. uliginosum L.*

G. parisiense L. In valle Lagarina non longe ab oppido Roboretum, fructu glabro et hispido promiscue. Reperitur forma pusilla prope Levico caulis a basi breviter decumbente erectis rigidiusculis 3—5 pollicaribus. *Obs.* Koch in Taschenb. p. 244 locum non indicavit ex quo habuit plantam suam rarissimam *G. pumilum Lam.* e Tirolia australi.

G. palustre L. — *G. boreale L.* — *G. verum L.*

G. purpureum L.

G. sylvaticum L. In silvis frondosis et fruticetis, locis demissis et montanis Tiroliae australioris et finitimae Italiae septentrionalis.¹⁹⁾

G. Mollugo L.

G. lucidum All. *G. erectum Huds.* *G. cinereum All.* In calidioribus demissis, in montanis, rarius in subalpinis. *Obs.* Dantur formae numerosae et frequenter, quae a formis angustifoliis *G. Molluginis* distingui nequeunt, cum et *G. Mollugo* non raro instruatur foliis utrinque lucidis et eorum nervus medius pariter variet crassitudine.

G. rubrum L. In regione montana media et superiore, in sylvestris, dumetis, pratis. Occurrit floribus dilute et pallide purpureis (nunquam vero rubris) albis, ex albo purpurascensibus, corollis acuminato-aristatis, vel in forma albiflora acutis muticis.

G. sylvestre Auctorum. *G. pusillum Bertol.* fl. ital. *G. baldense Poll* fl. veron. I. tab. 2 forma foliis latioribus.

G. rupicola Bertol. fl. ital. vol. II. p. 108 is. vol. V. p. 606. *G. helvetica Weig.* Radix tenuiter fusiformis semipedalis et longior descendens, caules numerosi caespitosi, folia superiora obovata lanceolata, inferiora obovata in petiolum angustata. In alpe Bondon loco dicto dosso d'Abamo.

Rubia tinctorum L. In dumetis ad agrorum vias in valle Venosta (Eiers), rara, ut indigena dici non possit.

R. peregrina L. In provincia Brixensi ad lacum Benacum.

Asperula arvensis L. In Tirolia australiore.

A. cynanchica L. In Valsugana Tiroliae et finitima ditione Bassanensi.

A. cynanchica L. A. montana Kit est forma corollis scabris, et A. longiflora W. K. forma corollis per gradus longioribus; illa in apricis, haec in sylvaticis.

A. odorata L. In Tirolia italica calidore, solo calcareo.²⁰⁾

Sherardia arvensis L.

Plantago major L. — *P. media L.*

P. lanceolata L. Scapus subteres, vel angulato-sulcatus, angulis saepe inaequalibus paucioribus vel pluribus, haec P. altissima Koch. Numerus sulcorum varius vel in scapis et in eadem radice.

P. victorialis et sericea auctorum. In Tirolia australiore, prope Roboretum. *Obs.* Formae inter hanc et *P. lanceolatam intermediae* reperiuntur copiosae in districtu di Fiemme, in valle di Vestino, in montibus lacui Benaco imminentibus ad fines.

P. montana Lam. In montanis rara.

P. maritima L. Ab imis vallium ad alpes, solo calcareo et granitico. *Obs.* Folia extus saepe enervia, tamen situs nervorum cognosci potest, si folia transverse disrumpuntur, cum nervi inter substantiam folii soluti ex altero fragmento prominebunt. Inter multas species noviter propositas, dein deletas, nec *P. serpentina* adoptari potest, cum longitudo et tenuitas apicis bractearum, qua firmatur differentia speciei per omnes gradus variet; nec *P. alpina*, distincta situ nervorum in foliis, cum in speciminiibus helveticis hoc nomine acceptis nervi laterales foliorum observentur in altero folio margini, in altero ex eadem radice nervo medio propriores. Praeterea nervi non tantum tres, sed apparent in folio interdum et quinque.

P. arenaria W. K. In valle Athesina prope Bulsanum; prope Salurn.

Sanguisorba officinalis L. In valle Venosta in regione suprema Vitis; in Seiseralpe in regione subalpina.

Epimedium alpinum L. In Tirolia australiore in regione Ficus sponte nascentis (nec in alpibus).

Cornus sanguinea L. — *C. Mas L.*

Parietaria officinalis L. In dumetis et vepretis et locis umbrosis exit forma P. erectae M. K., in apricis, siccis, ad muros forma P. diffusae M. K. Reperta est in muri fissura forma P. diffusae, ad ejus pedes inter rubos, evidenter ex seminibus delapsis prioris, forma P. erectae. Nec tamen P. erecta est constanter caulinibus simplicibus.

Alchemilla vulgaris L. A. pubescens Koch ex Seiseralpe est forma minor, saepe pusilla, Alchemillae vulgaris in alpinis et subalpinis proveniens. Cl. Marschall definit suam „lobis cu-neiformibus (foliorum)“. — A. fissa Schum. est forma glabra magnitudinis mediocris in subalpinis et alpinis in uidis, ad rivulos et scaturigines, praesertim solo granitico. Utraeque junguntur cum A. vulgari per formas intermedias continua progressionem.

A. alpina L. In alpinis et subalpinis solo granitico, rarius calcareo e. g. in monte Baldo.

A. pentaphyllea L. In Tirolia austro-occidentali, praesertim circa montem Ortler, solo granitico. Videtur esse planta alpibus glacialis peculiari.

A. arvensis Scop.

Ilex Aquifolium L.

Potamogeton natans L. Etiam in subalpinis.

P. rufescens Schrad. In Pustaria.

P. gramineus L. P. augustanum Bertol. (ad fossas prope lacus di Piné) est forma latifolia.

P. lucens L. Forma cornuta in piscina prope Völs.

P. perfoliatus L. In lacubus Tiroliae australis calidioris.

P. crispus L. — *P. pusillus L.*

P. pectinatus auctorum. In lacu Benaco. *Obs.* Pluribus annis observavi, at nunquam florentem offendit; est tamen P:

pectinatus ex caeteris notis evidentibus: *P. interruptus* Reichenb.
Deutschl. Flora tab. XIX. caulis quamvis non florens, 3—4 pedalis.

Potamogeton marinus Koch Taschenb. Reichenb. Deutschl.
Fl. tab. XVIII. (cui exemplaria misi). In lacubus subalpinis
Tiroliae austro-orientalis. In lacu prope S. Pellegrino ad fines
Bellunenses, in lacu vallis di Badia prope confinium di Gardena.

P. densus L. In fossis in districtu di Riva et Arco. Varietas
augustifolia ad lacus di Piné.

V. Cl. Pentandria.

Cerinthe minor L. In valle Athesina; in provincia Brixensi.

C. alpina Kit. In nemorosis et umbrosis subalpinis Tiroliae
austro-orientalis.

Heliotropium europaeum L. In insula Sermione lacus
Benaci.²¹⁾

Onosma echiooides L. In valle Athesina Tiroliae australis;
ad lacum Benacum.²²⁾

Echium vulgare L.

Pulmonaria officinalis L. — *P. angustifolia* L.

Lithospermum officinale L. — *L. purpureo-caeruleum* L.

L. arvense L.

L. graminifolium Viv. In ditione Bassanensi prope fines
Tirolenses repertum primum a Rev. Paterno.

Lycopsis arvensis L.

Anchusa officinalis L.

Eritrichium nanum Schrad.

Myosotis palustris L. Obs. An *M. caespitosa* Schultz species
distincta sit, dubitandum; ex radicis forma certe distingui non
potest. An stylus longitudine non variat?

M. sylvatica Lk. — *M. intermedia* Lk.

M. stricta Lk. — *M. hispida* Schl.

Sympytum officinale L.

Cynoglossum officinale L.

C. pictum Ait. In agro Tridentino, Roboretano; in districtu di Riva, di Arco.

Asperugo procumbens L.

Echinospermum Lappula Lehm. — *E. deflexum Lehm.*

Androsace helvetica Gaud. In districtu di Fassa ad rupes calcareae et granitico-trappicas.

A imbricata Lam. Ad rupes graniticas alpium di Tesino.

A. alpina Lam. In alpibus, solo granitico. Flores albi, carnei et dilute rosei, non raro in eadem planta, et ejusdem aetatis.

A. obtusifolia All. In alpibus plerisque.

Aretia Vitaliana L. In alpibus di Fassa, solo granitico-trappico; in monte Bondon Tridentinorum solo calcareo-ferrugineo.

Primula farinosa L.

P. longiflora All. In alpibus pluribus Tiroliae austratis.

P. officinalis Jacq. In demissis, montanis, rarius in subalpinis.

P. elatior Jacq. In montanis, frequentius in subalpinis et alpinis.

P. acaulis Jacq. In demissis, et in Tirolia australiore locis aura italica afflatis etiam in montium regione media.

P. Auricula L. *P. ciliata Mor.* Posterior haec forma multo frequentior. In alpibus solo calcareo. *Obs.* Difficile est distinguere in varietates, cum pulveris farinosi albi in foliis, scapis, calycibus, corollae fauce variet per omnes gradus.

P. villosa Jacq. A supra regione culturae ad regionem alpinam medium in Tirolia meridionali passim. Formae, quae iterum ut propriae species proponuntur, etiam in Tirolia australi reperiuntur. Est planta solo granitico adeo propria, ut ubi solum calcareum appareat, statim evanescat.

P. spectabilis Tratt. In montibus et alpibus Tiroliae austriacioris finitimaeque Italiae, solo calcareo peculiaris.

P. glutinosa Wulf. In summis alpibus graniticis.

P. Allionii Lois. In regione subalpina et alpina Tiroliae austro-orientalis finitimaeque Italiae (ditionis Bellunensis et Feltriensis)

unice solo calcareo. Differt a formis 1—2 floris Primulae villosae foliis rotundioribus obtusioribus, petiolo breviore, calycis dentibus, ratione magnitudinis totius calycis, majoribus, superne latoribus et obtusioribus. Quamvis interdum crescat solo pingui, situ et loco humiliore, tamen uniflora, admodum raro existit contrarium in P. villosa.

Primula Flörkeana Schrad. In Tiroliae cisalpinae alpium catena euroboreali, devexitate meridionali, rarius; in Judicariis non longe a finibus provinciae insubricae Bergomensis, alpe dicta la Cima del Frate; quo loco multo magis conspicua.²³⁾ — Foliis supra medium rotundatis vel ex oblongo subrotundis a formis majoribus P. minimae abunde diversa. Crescit solo granitico.

P. minima L. In alpibus solo granitico et calcareo. Reperitur rarius biflora.

P. intermedia Facch. Omni respectu media inter acaulem et officinalem, in quorum consortio crescit. Scapi umbelliferi, rarius concomitati pedunculis unifloris; folia oblongo-ovata; scapi et peduncularum pubes longior quam P. officinalis, brevior quam P. acaulis; corolla itidem magnitudine inter utramque media, limbo erecto patente, lobis rectis, nec ascendentib concavis P. officinalis. Calycis dentes elongati acuminati, sed breviores quam P. acaulis. Demum et corollae color medius, flavus, nec ex pallido sulfureus ut P. acaulis, nec luteus ut P. officinalis. His itaque perpensis nec pro varietate P. acaulis, nec pro legitima specie habendam esse censeo, sed pro hybrida prole ex dictis speciebus. Ad collem dictum Doss Trento prope Tridentum; in monte Bordol in ditione Roboretana.

Cortusa Matthioli L. In districtu di Primiero ad fines Feltrium; in alpe dicta Vette di Feltre; in valle Venosta media.

Cyclamen europaeum L. In Tirolia australiore finitimaque Italia.

Soldanella alpina L. — *L. pusilla Baumg.*

S. minima Hop. Species distinctissima notis constantibus. Habitus S. pusillae. Pedicellorum glandulae stipitatae. Corolla S. pusillae, superne albida multo minus dilatata ac S. alpinae et

minus profunde incisa, folia non raro laeviter cordata. In subalpinis et alpinis regionum frigidiorum Tiroliae austro-orientalis, solo calcareo.

Menyanthes trifoliata L.

Samolus Valerandi L. In Tirolia australi prope Kaltern, in provincia Brixensi prope Gargnano.

Lysimachia vulgaris L. — *L. Nummularia L.*

Anagallis arvensis L.

A. caerulea Schreb. In agro Tridentino et Roboretano.

Azalea procumbens L.

Convolvulus sepium L. — *C. arvensis L.*

C. cantabrica L. In montibus et collibus ad lacum Benacum ditionis Tirolensis et Brixensis.

Polemonium caeruleum L. In valle Venosta prope Laas; in monte Stelvio ejusdem vallis.

Jasione montana L. Prope Bulsanum; in Valsugana.

Campanula caespitosa Scop. *C. pusilla Haenke.* — Prior est forma in apricis, altera in umbrosis, vel frigidis locis proveniens. Si una crescunt quod saepe fit, individua umbris tecta exhibent folia latiora et longius petiolata et corollas superne magis dilatatas, contrario apricantia. Istarum cum *C. rotundifolia* conjunctio scientiae nihil commodi afferre videtur aucta nimie copia varietatum sine lege vagantium, quoque scriptore pro lubitu sibi condente suas. Dein oportoret et *C. linifolia* (Scheuchzeri) conjungere necessitate principii, cum et haec per formas intermedias dubiae affinitatis cum illa connectatur.

C. rotundifolia L. — *C. linifolia auctorum.*

C. Alpini L. Adenophora quibusdam a Campanulae genere separantibus. De praeceptis in constructione generum observandis audiamus Linnaeum philos. botanica § 170: „Raro observatur genus, in quo pars aliqua fructificationis non aberret.“ Inter caeteras campanulas omnes nulla alia reperitur, quae omnium partium structura et forma possit majore jure dici Campanula quam haec. Sejungunt a campanulae genere ob corpus carnosum circa styli basin. Verumtamen, si ob quamcumque in fructifi-

cationis partibus differentiam, differentia genera statuere voluerimus, vel genera, quamvis refragante Natura, in infinitum dividenda, vel nobiscum nullatenus consentanei modo uno cogimur uti praecepto, modo contrario. — Neoterici, in primis ii, qui systema naturale maxime crepant, genera, systematis fundamentum, maxime artificialia construunt. Hinc eo magis Linnaeus venerandus qui voluit genera esse naturalia, Naturae interpres et sacerdos summus et solus. — Prope Roboretum versus Vallarsa loco aprico, caulinibus est simplicioribus, ut exhibetur in figura C. Bauhini Prodr. p. 32; in Judicariis ad fines provinciae Brixensis, locis sylvaticis, caulinibus superne ramosis.

Campanula Morettiana Reichenb. In montis Schlern latere occidentali in districtu Kastelrutt; in subalpinis et alpinis districtus di Fassa plaga orientali et meridionali; in alpinis di Paneveggio districtus di Fiemme praesertim in monte Castellazzo, caeterisque alpibus ad fines Bellunenses et Feltrienses. („C. pulla in alpibus Tirolensibus della Valsugana“ Pollini fl. veronensis I. 269.) Specimina erant ex Castellazzo di Paneveggio; in Valsugana hucusque non fuit reperta. Crescit ad rupes calcareas imbrum impatiens, sed laeta viget sub rupium stillicidio.

C. patula L. — *C. persicifolia L.* — *C. Rapunculus L.*

C. bononiensis L. In demissis calidioribus et montanis temperatis.

C. rapunculoides L.

C. Trachelium L. Corollae caeruleae vel albae, interdum albae et caeruleae in eodem caule et ejusdem aetatis.

C. spicata L.

C. petraea L. In monte Baldo Veronensi ad rupes fani dicti la Madonna della Corona; ad laevam Athesis ad confinium Tiroliae italicae, nusquam hucusque in Tirolia reperta.

C. glomerata L. — *C. barbata L.*

C. sibirica L. In agro Tridentino et Roboretano.

Prismatocarpus speculum Herit. — *P. hybridus Herit.*

Phyteuma pauciflorum var. globulariaefolium Hop. In alpibus graniticis.

Phyteuma hemisphaericum L.

P. humile Schl. In Judicariis ad rupes graniticas alpis glacialis dictae di val di Genova ad fines provinciae Bergomensis.

P. Sieberi Spr.

P. orbiculare L. P. fistulosum non est varietas sed accidentalis forma vegetior.

P. Scheuchzeri All. In agro Tridentino et Roboretano solo calcareo; in Judicariis et in valle Passee in subalpinis solo granitico. In demissis, in Vitis regione, aequum est caules esse duplo triplo altiores quam in subalpinis. Bracteae variant longitudine et folia forma per omnes gradus, ut ex his varietatem, nedium speciem distinctam, statuere non possimus. Icon Allioniana in Fl. pedem. 391 quam Willdenowius dicit optimam, bona, quatenus individuum exhibet, mala si speciem referre autemetur.

P. Michelii Bertol. Admodum varians.

P. spicatum L. In Tirolia australiore.

P. Halleri All. In montanis, subalpinis et alpinis regionum frigidiorum. Obs. Notae, quibus haec et antecedens species a scriptoribus distinguuntur, adeo variables et minutae, ut satius esset eas in unam conjungere.

P. comosum L. Ad rupes calcareas Tiroliae italicae finitimaeque Italiae borealis, ad montium radices et in alpibus. Variat: *pubescens*. — Capsula lateraliter rimis et vertice poris dehiscit.

Lonicera Caprifolium L. In demissis calidioribus Tiroliae australioris.

L. Xylosteum L. — *L. nigra L.* — *L. alpigena L.*

L. caerulea L. In montanis, subalpinis et alpinis regionum frigidiorum passim.

Verbascum Thapsus L. Formae in subalpinis crescentes foliis caulinis modo brevissime, modo paulo longius, modo penitus decurrentibus, occurunt etiam promiscae, ex quibus si folia brevius per caulem decurrent factum fuit: *Verbascum montanum* auctorum.

V. thapsiforme Schrad.

Verbascum phlomoides Schrad. In Tirolia australiore finitimaque Italia.

V. floccosum W. K. In agro Tridentino et reliqua Tirolia australiore passim.

V. Lychnitis L. In editioribus occurrit floribus luteis vel flavis, in demissis fioribus albis.²⁴⁾

V. nigrum L. In montanis et subalpinis.

V. orientale M. B. In demissis calidioribus et montanis temperatis. Praecedenti nimis affine, et per formas intermedias confluens.

V. Blattaria L. In valle Athesina, rarius.

V. rubiginosum W. K. Koch. *V. virgatum* Bertol. In olivetis prope Riva, rarum. De specie non dubitandum, cum cl. Koch exemplar ex loco dicto viderit, et diagnosin confirmaverit.

V. phoeniceum L. In collibus di Vallonga prope Roboretum.

Obs. Inmodicus specierum numerus, quas nobis scriptores obtrudunt, duplicem fere agnoscit causam. Maxima propemodum specierum pars describuntur ex speciminiibus siccis in Herbario asservatis; at inconditae magnitudine sua hujusmodi plantae — aequae ac carduorum — nec copiose exquiruntur et siccantur, nec siccatae notas intemeratas servant. Inde fit ut quaecumque aberrans forma pro specie propria et distincta habeatur tum et si dubia proponatur. Dein specierum, quas hybridas vocant, doctrina, quae tamquam nova lues Floraे territorium vastare minatur, ex quacumque variante forma, si aliquam cum duabus speciebus habeat similitudinem, ex iis progenitam statuit. Sunt revera formae ex duabus speciebus congeniberis generatae, verum transitoriae formae sunt, quamvis fortasse similes ex iisdem parentibus iterum generandae, quae cum perpetua propagatione per semina continuari nequeant, species nequaquam nuncupari possunt, nisi absurdam ineptamque speciei definitionem tradere velimus. Inde accidit saepenumero, ut Hybridistas, seu specierum hybridarum conditores, Natura mire ludificet, cum ex assignatis parentibus alteruter vel uterque in loco natae prolis desideretur. Ut

exemplum rei confirmandae afferam, *Verbascum rubiginosum* prope Riva nascens a praesumpto ejus parente *V. phoeniceo* duodecim milliaribus italicis distat. Ergo hae formae transeuntes iterumque nova generatione redeuntes proles hybridae, non species dicendae.

Datura Stramonium L. In demissis calidioribus.

Hyoscyamus niger L.

Atropa Belladonna L. In sylvis regionum temperatorum, perrara.

Physalis Alkekengi L. In demissis calidioribus, rario.

Solanum nigrum L. Varietas baccis rubris in Tirolia australiore: *S. miniatum* auctorum. Varietas baccis ex flavo virescentibus in valle Anauniae; prope Bulsanum; in districtu Karneid. Caeterae varietates in Tirolia australi passim.

S. Dulcamara L.

S. tuberosum L. In monte Tatoga districtus di Primiero loco aura italica afflato altitudine supremae vitis regionis per quinquaginta annos a satione perstat.

Rhamnus cathartica L. — *R. Frangula L.*

R. saxatilis L. In demissis et montanis Tiroliae australioris.

R. pumila L. In montanis et subalpinis.

Paliurus aculeatus Lam. In sepibus districtus di Arco et Riva.

Evonymus europaeus L.

E. latifolius Scop. In Judicariis in confinio ditionis Tirolensis et Brixiensis.

Hedera Helix L.

Vitis vinifera L. Quasi sponte in vepretis et dumetis ubi colitur.

Ampelopsis hederacea Mich. Quasi sponte prope Tridentum: prope Mori perquam rara.

Ribes Grossularia L. — *R. alpinum L.*

R. petraeum Wulf. Obs. *R. petraeum* ex sylva Lattemar prope Botzen translatum fuit in hortum in Vigo districtus di Fassa ante 40 annos; dein ex eadem silva in hortum in Welchofen prope Botzen. Hoc temporis spatio in *R. rubrum* plenissime

mutatum est. Testes, ex duabus diversis regionibus, falli non potuerunt, nec fallendi eis causa fuit.

De Violis Obserrationes. Quibus Linnaeus redarguit Michelium, sumnum Botanicum, de Trifoliastris suis (Philos. botan. § 259), ea in scriptores de Violis quadrant in unguem. Quanta per distinctiones tot specierum parta confusio, norunt ii, qui Naturae viventis et sincerae investigationi dant operam. Xerographis facile est specimina herbariorum secernere et in acervos coadunare nomine specifico salutantes; quo studii genere continuata formarum progressio per imperceptos gradus quidem non appetet. Idem de studio plantarum ex cultura sentiendum: „In horto plures species distinguas, investigatione montium alpiumque evanescentes“ (Koch syn. I. p. 261). Opponet quis rejectis speciebus nimium augeri varietatum numerum, et scientiae perplexitates non minui sed mutari. At hercule et varietates minuendae, scientiae inutile pondus et corruptio (conf. Linn. Philos. botan. § 259, 317, alibique). Nec tamen variantes formae negligendae, sed in descriptione indicendae.

Viola pinnata L. A supra regione Zeae Mays cultae ad regionem subalpinam Tiroliae austro-orientalis, in districtibus di Fassa, Fiemme, di Kastelrutt; in alpe Stilfserjoch Tiroliae occidentalis.

V. palustris L. In alpibus graniticis Tiroliae austro-orientalis, rara.

V. hirta L. V. collina quorundam. Violam collinam a Viola hirta distinguere satagantes angimur frustra. Notarum consensus saepe desideratur. Notae enim quae alterae tribuuntur occurunt etiam in altera, et desunt vicissim, cum non rarum sit observare stipulas acuminatas et cum dentibus ciliatas in plantis foliis elongatis, et contrarium in planta foliis latis brevioribus. Cum V. hirtae folia, petioli et pedunculi varient pube copiosiore vel parciore breviore et longiore, par est et in stipulis eadem evenire. — Frequentior forma in demissis est foliis latioribus, in montanis subalpinis et alpinis magis oblongatis; quae variant longitudine semipollucari et petiolo computato etiam sesquipedali.

Viola odorata L. In demissis calidioribus et montanis temperatis. — Reperiuntur formae minores; quae a *Violae hirtae* formis majoribus foliis latioribus et brevioribus praeditis aegre distingui possunt, et a scriptoribus variis nominibus proponuntur.²⁵⁾

V. canina L. *V. arenaria* DC. *V. Allionii* Pio. *V. ericetorum* Schrad. *V. sylvestris* Lam. *V. Riviniana* Rehb. *V. Ruppii* All. Rehb. *V. Schultzii* Billot Koch. *V. lactea* Sm. *V. stagnina* Kit. Koch. *V. pratensis* M. K. et aliae non paucae connectuntur per formas partium perpetuo variantium, continuitate non interrupto; quae omnes in Tirolia australi crescunt. Radix edit caulem modo unicum, modo pauciores, modo plures fasciculis foliorum stipatos vel iis destitutos, interdum in surculos seu caules non florentes excrescentes, caeteris manentibus paribus. De omnibus istis formis conferantur egregiae *Icones Reichenbachii*, *Plantae criticae* t. 71—75, 94—99, 601 et *Icones fl. german.* Vol. III. t. 9—12, 14—17, quae praeter florum colorem fidelissimae et exactissimae sunt. Praecipuae formae in Tirolia meridionali crescentes ad *Icones insignis* hujus operis exactae sunt: Tab. 9 *V. rupestris* Schm., parvula stipulis latis, flore albo vel ex albo caerulecente (conf. Matthioli commentarium ad *V. purpuream*) in demissis, montanis et subalpinis Tiroliae finitimaeque Italiae vulgaris. — Tab. 10. *V. sabulosa*. *V. Allionii* Pio. Ber-toloni fl. ital. eadem sed corolla ex caeruleo violacea, petalo inferiore latiore obtusiore proximis lateralibus plerumque breviore; in montanis editioribus rara. — Tab. 10. *V. ericetorum* Schrad. praecedenti similis, verum major, stipulis quidquam angustioribus. — Tab. 11 *Violae caninae* varietas *montana* L. Fr. *V. stricta* Hornem. Koch (Taschenb. p. 64). In valle Athesina et in montanis temperatis. Eadem haec si stipulis est majoribus, et tab. 14 *V. Ruppii* All. *V. Schultzii* Billot Koch Taschenb. p. 63. In montanis Tiroliae cisalpinae mediae e. gr. prope Hafling; prope Völs. — *V. silvestris* Lam. et auctorum, in silvaticis et umbrosis crescens, statim ac in eodem loco silva fit rario et situs apicus, evadit *V. canina* vulgaris.²⁶⁾

Viola elatior Fries. V. persicifolia Reichenb. Schkuhr. In valle Athesina prope Auer, rara. ²⁷⁾

V. biflora L.

V. mirabilis L. In calidioribus rario.

V. tricolor L. Corollis parvis frequentior in demissis; corollis magnis magis in montanis et subalpinis. ²⁸⁾ Flores in altero pedunculo violacei, in altero lutei, ut interdum occurunt, nos docent varietates ex colorum diversitate universim esse contemnendas.

V. heterophylla Bertol. Koch. In regione montana inferiore, media et superiore Tiroliae austro-occidentalis, solo calcareo. V. cenisia Pollini Fl. veron. est eadem haec V. heterophylla. ²⁹⁾

Impatiens nolitangere L.

Thesium montanum Ehrh. — *T. intermedium Schrad.* — *T. alpinum L.*

T. rostratum M. K. In districtu di Primiero in regione suprema culturae; prope Agordo provinciae Bellunensis.

Vinca minor L. Variat rarius corollae lobis angustioribus rectis obtusis vel acutis.

V. major L. Prope Bulsanum ex hortis interdum migrans, nec quasi sponte exiens dici potest. ³⁰⁾

Nerium Oleander L. Ad rupes prope lacum Benacum in ditione Tirolensi rarissimum, in contermina ditione Brixensi frequentius.

Cynanchum Vincetoxicum R. Br.

Erythraea Centaurium Pers.

E. pulchella Fr. Ad lacum di Caldronazzo et alibi. Species non bona et per formas intermedias cum praecedente conjuncta.

Gentiana lutea L. In montibus Tiroliae australioris, et austro-orientalis in districtibus di Fiemme, di Fassa; solo calcareo.

G. punctata L. In alpibus graniticis. — Varietas corollis flavis saepe impunctatis, calycis et corollae forma paulum varians in monte Gazza ditionis Tridentinae, solo calcareo puro: G. campanulata Jacq.

G. Crucifera L. In regione montana inferiore, media, et superiore sparsim.

Gentiana Asclepiadea L.

G. Pneumonanthe L. In valle Anania.

G. acaulis L. A regione Oleae cultae (ad lacum Benacum) ad alpes.

G. excisa Presl. Variat corolla alba. Fatendum est reperiri formas intermedias, pari jure utriusque accensendas. Solo granitico et calcareo.

G. bavarica L. In subalpinis et alpinis, locis uidis et palustribus. Varietas: rotundifolia in alpibus glacialibus, in Stilfserjoch ad fines ditionis insubricae et helveticae; in Pustaria septentrionali ad fines salisburgenses, istis locis solo granitico.

G. verna L. Forma alpina foliis latis subrhomboidibus est *G. brachiphylla* Vill. per formas intermedias nimis numerosas cum *G. verna connexa*, ut non possit pro propria specie haberi. — *G. aestiva R. et Sch.* pari modo per formas intermedias gradu continuo transit in *G. verna*. *G. verna* variat flore albo.

G. imbricata Fröl. In alpibus calcareis regionum frigidiorum. — Foliis congestis rugosis margine cartilagineo serrulato vel denticulato ab omnibus formis Genianae vernae probe distincta.

G. pumila Jacq. In alpibus districtus di Fiemme, rarissima.

G. prostrata Haenke. In alpe Schlehrn, solo calcareo; in alpibus Pustariae euro-borealis finitimaque Carinthiae, solo mixto (calcareo et granitico-schistoso.)

G. utriculosa L. In Tirolia australi passim.

G. nivalis L. A regione suprema culturae ad alpes.

G. obtusifolia Willd. In Tirolia australi vulgaris. Variat flore albo. Varietas calycina Koch in montanis passim.

G. glacialis Vill. In alpibus regionum frigidiorum passim, solo granitico et calcareo.

G. nana Wulf. Ad alpem Glockner in ditione Tirolensi et Carinthiaca.

G. ciliata L. Caulis in demissis calidioribus ramosus, in subalpinis simplex.

Pleurogyne (Swertia) carinthiaca Wulf. In alpe Schlehrn, solo calcareo, in Pustaria finitimaque Carinthia, solo granitico-schistoso vel mixto.

Ulmus campestris L. Cum varietate suberosa.

Celtis australis L. In Tirolia vinifera.

Cuscuta europaea L. In *Urtica dioica* aliisque herbis et fruticibus in vicinia *Urticae* crescentibus.

C. Epithymum L. In Serpylo aliisque herbis et fruticibus in vicinia Serpylli crescentibus. In demissis calidioribus, montanis et alpinis. — Varietas corollis majoribus, limbo horizontaliter patente, est *C. planillora*, Koch syn. et Taschenb. Reichenbach in normali Cent. 4 Nr. 2069, Bertoloni in flora ital. V. p. 615; ex loco calidiore prope Balsanum et in cetera Tirolia calidiore. Corollae squamae cristatae semicirculares plus vel minus elongatae versus axim floris convergentes ut in caeteris formis. Longum foret omnes herbas et frutices recensere quibus adhaerens reperitur. — Alia varietas corollis parvis limbo erecto-patulo prope Caldronazzo. In alpibus est floribus minoribus, corollae limbo erecto-patente, lobis interdum elongatis acuminatis.

C. Epilinum Weihe. In districtibus di Fiemme; Fassa; Primiero.

Herniaria glabra L. Variat: pubescens.

Atriplex patula L. Variat perigonii minoribus. Varietas foliis latioribus est *A. latifolia* Wahlenberg, ab ipso auctore pro varietate habita (conf. fl. suecica Nr. 1157).

Blitum virgatum L. In Tirolia cisalpina occidentali, media et orientali, in rupium subalpinarum specubus ubi pecora cubant, dein locis pinguis in regione culturae. Annum vel bienne.

B. capitatum L. Sponte proveniens a nemine hucusque in Tirolia meridionali repertum fuit.

B. bonus Henricus L.

B. rubrum Rchb. In valle Venosta; in Pustaria septentrionali; prope Sterzing, rarum.

B. glaucum Koch. Prope Salurn, prope Bruneck, prope Cavalese, rarum.

Chenopodium hybridum L. — *Ch. murale L.* — *Ch. album L.* — *Ch. polyspermum L.* — *Ch. Vulvaria L.*

Ch. urbiculum L. Prope Bruneck in Pustaria, rarissimum.

Chenopodium Botrys L. In Tirolia vinifera, et paulo supra
vitis terminum.

Sanicula vulgaris L.

Astrantia minor L. In alpibus glacialibus, montibusque editioribus Tiroliae australioris et austro-occidentalis et finitimae provinciae Bergomensis; in Tirolia austro-orientali in districtu di Fiemme, solo calcareo et granitico.

A. major L.

Eryngium campestre L. In Tirolia cisalpina media et australiore, infrequens.

E. amethystinum L. Iisdem locis ut praecedens, multo frequentius. — *Obs.* Proles hybrida enata ex praecedentium connubio prope Montan in valle Athesina, foliis E. campestris, floribus E. amethystini, quae ante annum 1842 ibidem non extiterat.

Cicuta virosa L. Ad lacus di Piné; in valle Venosta, in Pustaria superiore, rara.

Apium graveolens L. Ad fossas ad lacum Benacum in districtu di Riva, rarissimum.

Petroselinum sativum Hfm. In collibus et fruticetis, praesertim in ditione Bulsanensi, non rarum et quasi sponte.

Trinia vulgaris DC. *Obs.* Occurrit rarissime fructibus oblongis: T. elatior Gaud. fl. helv. II. 413, tab. 8 f. 2. Haec in collibus aridis prope Bulsanum.

Ptychotis heterophylla Koch. In Tirolia australiore, et cetera provincia Veronensi, solo calcareo.

Aegopodium Podagraria L.

Carum Carvi L.

Falcaria Rivini Host. Prope Margreit in valle Athesina, in agris, et vineis, rarissima.

Pimpinella magna L. — *P. Saxifraga L.*

P. alpina Host. In montanis Tiroliae australioris finitimaeque Italiae septentrionalis, solo calcareo. Specimina intermedia inter hanc et praecedentem ambigua mihi non visa.

Berula angustifolia Koch.

Bupleurum aristatum Bartl. In demissis calidioribus, aridisque locis Tiroliae australioris. — Forma minor differt habitu contractiore, involucris et involucellis majoribus.

B. ranunculoides L. In demissis temperatis, montanis, subalpinis et alpinis Tiroliae australioris finitimaque Italiae, solo calcareo. Forma elatior prope Bellunum in Italia septentrionali.

B. graminifolium Vahl. In alpe dicta Vette di Feltre in ditione Feltriensi et Tirolensi; in alpe Campobruno ad fines Vicentinos, in alpe Lanciada Judicariensium.

B. stellatum L. In alpibus passim, solo calcareo et granitico.

B. rotundifolium L.

Aethusa Cynapium L.

Foeniculum officinale L. Locis calidis demissis, quasi sponte.

Seseli montanum, glaucum, elatum L. et auctorum. S. *Gouani Koch.* Planta Scriptoribus male nota. Species distinxit Linnaeus ex folii divisione, et foliorum dispositione, insuper S. elatum ex numero radiorum in umbella (conf. Sp. plant. p. 372, 375. Codex Nr. 2975, 2076, 2084; recentiores praecipue ex numero radiorum in umbellis. Foliorum divisio, et foliorum copia, pendet a loco et ab ubertate soli. Radiorum numerus in umbellis adeo varius est, ut ex una radice omnes dictae tres auctorum species sisti possint, et quidem non ex speciminibus forte et raro tanquam exceptionis lege, sed vulgo occurrentibus. Observantur enim umbellae radiis 3—8 vel 5 et 10, quin et 12 in eadem planta. — A scriptoribus allatae figurae Morisoni nihil lucis afferunt, melior Bauhiniana (Histor. III. II. p. 16) quoad ~~folia~~. In Tirolia cisalpina austro-orientali, australi et austro-occidentali vulgare: in Valsugana; in ditione Tridentina et Roboretana; in val di Sarca ad septentrionem lacus Benaci; in val di Ledro; in Judicariis australibus. Seseli tortuosum L. planta longe diversa, in Tiroli australi mihi nullibi observata.

S. varium Trev. In valle Venosta media, solo granitico-schistoso. 31)

S. annuum L. In demissis calidioribus et montanis temperatis.

Libanotis montana All.

Trochiscanthes nodiflorus Koch. In Vallarsa superiore rarissimum.

Athamanta cretensis L.

A. Matthioli Wulf. In Tirolia australiore. Videtur esse forma praecedentis e locis temperatoribus. Etenim et *A. cretensis* situ calido enata umbellis multiradiatis gaudet, ad 15 usque (conf. Bertol. fl. ital. III. 320).

Meum Mutellina Gärtner. Solo granitico-schistoso, et granitico-trappico passim, in Tirolia australi media solo calcareo rarissima.

Gaya simplex Gaud. In alpibus, rarer.

Angelica sylvestris L. Duplex est ejus forma: foliolis ovatis in demissis calidioribus et temperatis proveniens: in valle Athesina, in Judicariis quae *A. Archangelica* auctorum quorundam Europae meridionalis est ut *Pollinii* flor. veronens. I. p. 375—376; altera foliolis lanceolatis vel oblongo-lanceolatis, in montanis et subalpinis regionum frigidiorum nascens. ³²⁾

Ferula nodiflora L. Bertol. Prope Roboretum rarissima, ad lacum Benacum in ditione Brixensi rarer.

Peucedanum Chabraei Rchb. Caulibus inferne modice sulcatis vel striatis: prope Bellunum in Italia septentrionali; caulis inferne laeviter vel profundius striatis: *P. Schottii* et *petraeum* Koch: in Tesino Tiroliae cisalpinae austro-orientalis. ³³⁾

P. Cervaria Lap. — *P. Oreoselinum* Mönch.

P. venetum Koch. In demissis calidioribus.

P. rablense Koch. In regione montana media Tiroliae australis, passim; in districtu di Agordo Italiae septentrionalis.

Thysselinum palustre Hoffm. In valle Venosta, rarissime.

Imperatoria Obstruthium L.

Tommasinia verticillaris Bert. In Tirolia meridionali et contermina provincia Brixensi, rarer.

Pastinaca sativa L.

Heracleum. Cl. Crantz *Heraclea austriaca* ad unicum speciem, unica exceptione, reduxit; bene quidem et ex observatione naturae, quamvis nomine non satis apto indito, *Heracleum*

proteiforme vocans (stirp. austr. p. 155 — 8). Botanicis xerographis facile est ex variis formis aliquas se jungere, et tamquam species distinctas proponere et describere, cum quid natura ferat ipsis plane ignotum sit, contenti paucis speciminibus ob plantae molem male siccatis et imperfectis, ex quibus formarum nexus minime elucet. Depromunt notas ex foliorum forma et divisione, ex fructus forma et vittis et utrorumque pube, ex petalorum forma et relativa magnitudine, et colore. Verum si naturam viventem potius quam sicca specimina, corrupta cadavera, investigare voluerimus, reperiemus distinctionis notas a scriptoribus adhibitas omni ex parte per gradus continuos omnino confluere. Folia magis vel minus pubescentia pube molliore vel asperiore, in quinque vel tria foliola dividuntur, petiolis partialibus longioribus vel brevioribus, vel profunde ad petiolum communem fere partiuntur, vel minus profunde inciduntur, vel brevi tractu. Foliola vero vel partitiones, magna et maxima vel mediocria, lata et brevia, angusta, elongata et attenuata, obtusiora vel acutiora, et acuminata deprehenduntur, margine brevius vel profundius incisa et lobata. Fructus non admodum variant forma; tamen ex hac levidensi variatione distinctionis notas petere non desierunt. Fructus pubis praesentia vel copia aequa ac in foliis variare par est. Perspicere debuerunt rem ancipitem esse ex ejus praesentia vel defectu notas statuere, cum fructus eam exuant citius vel serius. Pericarpiorum vittae variant quandoque longitudine vel in uno eodemque hemicarpio. Ajant commissurales deesse in *H. alpino* et *austriaco*, quae saepe utique existunt et aequa magnae ac in ceteris *Heracleis*, quam rem etiam Cl. Gaudinus de *H. alpino* confirmavit (Fl. helvet. II. 321). Flores in *Tirolensibus* radiantes quidem; at talis est differentia, per gradus continuos, inter multum et parum radiantes, ut isti magis ad flores non radiantes accedant quam ad valde radiantes. Hinc ab istis formis differentia specifica nulla desumi potest. Quam inanis et contemnenda in universum res sit coloris diversitas in floribus quae distinctionis fundamentum docent exempla *Violae tricoloris*, *Aretiae alpinae*, *Ajugae pyramidalis*, aliarumque plantarum. His praemissis nobis videtur

conducere medium viam ingressuris, non unicam, ut fecit Crantzius, sed duas ex Tirolensibus Heracleorum formis species statuere: *Heracleum Sphondylium L.* et *H. asperum M. B.* et auctorum fl. germanicae. Erunt vero hae tamquam speciei summae subordinatae (subspecies barbaris), quae reapse per formas intermedias progressionem continua connectuntur, sed facilioris studii causa artificialiter et arbitrarie distinguuntur. Isthac constructione ad *Heracleum Sphondylium* pertinent: *H. sphondylium* auctorum, *H. flavescens* auctorum, *H. sibiricum* auctorum, *H. austriacum L.* cum synonymis ad ista relatis. Ad *H. asperum*: *H. Panaces* Bertoloni. *H. asperum* auctorum florae germanicae, quod respondet *H. Polliniano* Bertoloni. — *Heracleum elegans*, foliolis multifidolaciatis, ex Vette di Feltre, mihi dubiae cognitionis est, foliis ad *H. Sphondylium*, ceteris, insuper et loco, videlicet alpino, ad *H. asperum* accedens. Non enim praetereundum reperiri formas certe ad *H. asperum* spectantes foliis varie et profunde incisis et laciniatis. Observandum praeterea distinctionem inter folia pinnata et simplicia omnino futilem esse, cum reperiantur, quae altero latere foliolis distinctis et remotis sunt pinnata, altero foliolis ala lata, quin et latissima, conjunctis; ergo pinnata et simplicia ad unum petiolum.

Laserpitium latifolium L. Variat foliis hirtis.

L. Gaudini Mor. In Tiroliae cisalpinae australioris montibus vulgare, solo calcareo; in Tirolia cisalpina media rarius, solo granitico-porphyrico.

L. Siler L. In Tirolia australiore.

L. peucedanoides L. In montanis, subalpinis et alpinis, solo calcareo.

L. hirsutum Lam. In devexitatibus jugisque montium editorum et alpium, solo granitico vari generis, h. e. granitico simpliciter dicto, granitico-schistoso, granitico-porphyrico, granitico-trappico; in Seiseralpe; in monte Ritten; dein in partibus occidentalibus Tiroliae meridionalis et conterminis provinciis Bergomensi et Brixensi.

L. pruthenicum L. In valle Athesina.

Laserpitium nitidum Zantedeschi. In montanis et subalpinis frigidiusculis calcareis Tiroliae cisalpinae austro-occidentalis; in Judicariensium valle media, in Ananiensium valle occidentali. — Reperta mihi est ex hoc et L. Siler proles hybrida, specimine unico, quod Hybridistae dicent: L. Siler-nitidum.

Orlaya grandiflora Hoffm.

Daucus Carota L. Variat caule glabro.

Caucalis daucoides L.

Torilis Anthriscus Gärtn.

T. nodosa Gärtn. In demissis Tiroliae maxime australis, rara.

Scandix Pecten L.

Anthriscus sylvestris Hoffm.

A. Cerefolium Hoffm. Ex hortis emigrans, rarius nec quasi sponte crescens.

Chaerophyllum temulum L. — *Ch. aureum L.*

Ch. hirsutum L. Obs. Forma a cl. Kochio dicta Ch. Villarsii in Tirolia australi passim, forma vero ejusdem auctoris nomine Ch. hirsuti multo rarer, locis umbrosis, frigidioribus. Folia Ch. Villarsii, utpote plantae locis magis temperatis crescentis magis divisa, Carpophorum in plantis foliis magis divisis profundius divisum, ut decet, reperitur, formis intermediis quoad utramque notam, progressionem non interrupta, non raris.³⁴⁾ Variat in alpibus floribus dilute purpureis.

Molopospermum cicutarium DC. In subalpinis Tiroliae italicae, rarum.

Myrrhis odorata Scop. In Tirolia australiore.

Conium maculatum L.

Malabaila Hacqueti Tausch. In alpe Campogrosso Roboretanorum ad fines Vicentinos; in monte Cingolross in valle di Vestino ad fines Brixianenses, rara.

Bifora radians M. B. In agris Tritico satis in Tirolia australiore, frequens.

Rhus Cotinus L.

Viburnum Lantana L. — *V. Opulus L.*

Sambucus Ebulus L. — *S. nigra L.* — *L. racemosa L.*

Myricaria germanica Desv.

Telephium Imperati L. In valle Venosta media, solo granitico-schistoso. — Judice cl. Frölichio nascitur solo dicto calcis vitriolatae (Bergman, sciograph. § 59), ast erant globi silicei, Quartsum dictum (Bergm. ibid. § 125), in granite schistoso liberi (conf. Reichenb. fl. exc. Nr. 3714).

Parnassia palustris L. Variat scapo nudo.

Statice alpina Hp.

Linum viscosum L. In regione montana media et superiore.

N.B. Matthiolus ex hac planta Ephemeron suum construxit, iconem in ignotis more ipsi solemni, Dioscoridis descriptioni accomodata. Aliam nullatenus posse esse plantam „in Ananiensibus montibus tam in pratis quam in sylvis copiose nascentem“ vel inde patet, quod nulla alia figurae Matthioliana melius respondens in tota valle Anania reperiri potuerit. Nec impedit prava floris forma; fugacia Lini petala delapsa erant, et flos tetramerus etiam in Ranunculo Pthora a Veteribus depictus (conf. Mattholi. Camerar. Lobel).

N.B. Hanc Matthioli figuram cl. Bertolonius interpretatur pro Saponaria Vaccaria (conf. fl. italica IV. 627).

L. tenuifolium L. — *L. catharticum L.*

L. alpinum Jacq. In Tirolia australiore, in montanis infra terminum culturae, in subalpinis, alpinis.

Drosera rotundifolia L. In monte Ritten Bulsanensium, in valle Ridnaun districtus Sterzing; in Valsugana; in Bellamonte districtus di Fiemme; in Judicariis.

D. longifolia L. In Pustaria; in Valsugana etc. *Obs.* Ex stigmatum forma, et ex scapi longitudine ratione ad longitudinem foliorum notae constantes depromi non possunt.

Sibbaldia procumbens L.

VI. Cl. Hexandria.

Galanthus nivalis L. In Valsugana prope Bien; in ditione Roboretana prope Castelpietra; in monte Baldo prope Sacellum la Madonna della neve.

Leucojum vernum L. In ditione Bulsanensi; in Valsugana.

Narcissus incomparabilis M. Prope Bulsanum e. gr. supra Scheibenthurn; ³⁵⁾ ex hortis emigrans.

Erythronium Dens Canis L. In Valsugana; in montibus ad lacum Benacum in ditione Brixieni.

Lloydia serotina Salisb. In alpibus graniticis. ³⁶⁾

Lilium bulbiferum L. — *L. Martagon L.*

Muscari comosum Mill. — *M. racemosum Mill.*

M. botryoides M. In monte Baldo in regione suprema culturae, loco dicto: i Pianetti; in alpe Lanciada Judicariensium, supra arborum terminum.

Scilla bifolia L. In subalpinis Tirolis australioris, solo calcareo, raro.

Gagea stenopetala Rchb. In ditione Bulsanensi prope Girlan, in agris, vineis, et locis herbidis incultis.

G. arvensis Schult. In Tirolia australiore, vulgaris.

G. Liottardi Schult. In alpibus calcareis, locis pinguibus, ad mandras: in monte Baldo; in districtu di Fassa; di Livinalongo; Karneid; in monte Schlehrn; in Kirschbaumeralpe; copiosissima in hortis oleraceis prope Moëna in Fiemme.

G. lutea Schult. In demissis calidis et subalpinis temperatis, passim.

Ornithogalum pyrenaicum L. Folia per anthesim marcescentia et peracta anthesi evanescentia, perigonii phylla angustiora. In pratis sylvaticis montanis in regione suprema vitis, et in suprema culturae, in districtu di Primiero, di Borgo, di Condino.

O. umbellatum L.

O. nutans L. In agro Bulsanensi; Brixinensi.

Allium Victorialis L. In subalpinis et alpinis in districtibus di Fiemme, di Fassa, di Livinallongo.

Allium fallax Don. In demissis calidis et montanis temperatis magis in rupestribus.

A. acutangulum Schrad. In demissis, magis palustribus.

A. suaveolens Jacq. In regione montana media et superiore Tiroliae australioris, solo calcareo, in aridis umbrosis, et palustribus apricis; in Vallarsa; in Judicariis ad fines Brixienes, in montibus Brixiensibus lacui Benaco imminentibus. ³⁷⁾

A. sphaerocephalum L. In demissis calidis, et rarius in montanis temperatis.

A. vineale L. In vineis ditionis Bulsanensis, et prope Tramin in valle Athesina.

A. oleraceum L.

A. paniculatum Linnaei, juxta definitionem et quoad plantam Europae mediae (descriptionem fecit ad exemplar corolla stamina aequante). In Tiroliae australioris et Italiae septentrionalis conterminae demissis et montanis calidioribus. ³⁸⁾

A. carinatum L. In regione montana media et superiore. *Obs.* Haec et praecedens species crescunt interdum paribus loci, climatis et soli conditionibus, quin mixtum proveniant. Stamina in utraque perigonio longiora. Differentia specifica est in praesentia vel defectu bulborum in umbella, cetera pendere videntur a loco.

A. Schoenoprasum L. In montanis temperatis (in regione Zeae Mays cultae), subalpinis et alpinis Tiroliae austro-orientalis, in districtu di Fiemme, di Fassa, di Livinallongo, Kastelrutt, Karneid. In alpinis plerumque minus, cetera nulla differentia; hoc est *A. sibiricum* Willd.

Asphodelus albus Mill. In pratis montanis editoribus Tiroliae australioris.

Hemerocallis flava L. In pratis ad fossas prope Bulsanum. — H. fulva unico loco prope Tesero in Fiemme in rudere; ergo cum horti alicujus rejectaneis, nec quasi sponte proveniens. ³⁹⁾

Anthericum Liliago L. In montanis humilioribus.

A. ramosum L. In regione montana inferiore, media et superiore.

Paradisia Liliastrum L. In Tirolia australi passim.

Asparagus officinalis L.

A. tenuifolius Lam. Obs. Dubitandum est an haec et praecedens plantae sint distinctae species, cum specimina identica ex uno eodemque loco a diversis Botanicis pro diversa specie habeantur. Scriptores definitiones suas videntur confidere ad specimina formis extremis, neglectis intermediis. Et revera in regione Athesina et circa Meran reperiuntur formae, quae aequo jure ad utramque referri possunt. An cultura formam perigonii mutavit, quod in plantis factis silvestribus persistit?

Streptopus amplexifolius DC.

Convallaria verticillata L. — *C. Polygonatum L.*

C. multiflora L. — *C. majalis L.*

Majanthemum bifolium DC.

Agare americana L. Ad lacum Benacum in ditione Brixensi, prope Tusculanum, prope Limone, copiose et quasi sponte. In Tirolia cisalpina media extat individuum prope St. Oswald ad septentrionem oppidi Bulsanum ad rupem meridie obversam, quod a longo jam tempore solitarium observatur.⁴⁰⁾

Juncus Jacquinii L. — *J. conglomeratus L.*

J. effusus L. — *J. glaucus Ehrh.*

J. arcticus L. In subalpinis et alpinis Tiroliae austro-orientalis et conterminae provinciae italicae Bellunensis: in monte Schlehrn; in convalle subalpina Duron; in monte la Forada Bellunensium.

J. filiformis L. — *J. triglumis L.*

J. trifidus L. Forma vaginis folio brevissimo terminatis in alpibus graniticis; forma vaginis folia longiora sustinentibus in alpibus calcareis; utraque frequens, quae et formis intermediis conjuguntur. Posterior est *J. Hostii Tausch.*

J. obtusiflorus Ehrh. In demissis calidioribus.

J. sylvaticus Rchd.

J. articulatus L. *J. lamprocarpus Ehrh.* *J. alpinus Vill.* Posterior videtur esse forma alpina *J. lamprocarpi*, nec satis distincta.

J. compressus Jacq. — *J. bufonius S.*

Luzula flavescentia Gaud. In sylvaticis regionis montanae mediae et superioris, in Tirolia cisalpina media in districtu Karneid, et austro-orientali finitimaque ditione Bassanensi et Feltriensi; in Tesino, Folgaria etc. Radix repens.

L. Forsteri DC. In regione vitis et Ficus caricae silvaticae prope Sigmundscron Balsanensium. Radix fibrosa, folia istis praecedentis duplo angustiora.

L. pilosa W. — *L. maxima DC.* — *L. albida DC.*

L. spadicea DC. In subalpinis et alpinis praesertim solo granitico. L. glabrata est levis varietas in roridis umbrosisque crescens, foliis latioribus omnino glabris vel basi parce pilosis.

L. nivea DC. In demissis, montanis et subalpinis solo calcareo, vulgatissima.⁴¹⁾

L. lutea DC. In subalpinis et alpinis regionum frigidiorum, praesertim solo granitico.

L. campestris DC. In demissis et alpinis ubique. L. multiflora auctorum nulla nota est a L. campestri diversa; nec a longitudine filamentorum distinctionis nota peti potest. L. alpina Hop. in Sturm Heft 87, est varietas foliis latioribus, in alpibus graniticis rarius occurrentis.

L. spicata L.

Berberis vulgaris L.

Peplis Portula L. Ad lacum Wolfsgruber See in monte Ritten, rarissima.⁴²⁾

Oxyria digyna Campd.

Rumex pulcher L. In demissis satis frequens.

R. obtusifolius L.

R. cristatus Wallr. In demissis sparsim.

R. crispus L.

R. Patientia L. Ad stabula subalpina in Costalonga districtus Karneid, quasi sponte.

R. Hydrolapathum Huds. R. aquaticus L. ex synonymo Muntingii (vera Herba Britannica, cuius icon t. I. folia basi nimis repente angustata exhibet; melius in libri fronte). In fossis vallis

athesinae, prope Salurn, et inde Tridentum versus; prope Terlan „Typhae socia“.

Rumex aquaticus Recentiorum. Ad fossas et in pratis palustribus, in Pustaria superiore, prope oppidum Sterzing ad radices montis Brenner.

R. alpinus L. In alpinis, subalpinis et regione supra culturae.

R. scutatus L.

R. Acetosa S. R. arifolius recentiorum. R. arifolius All. R. nivalis Hegetschw. Heer. Koch. *Obs.* Scriptores formae in subalpinis et alpinis crescenti tribuunt stipulas seu ochreas breves et integerrimas (non laciniatas) et folia basi nervis pluribus instructa, quibus notis R. arifolium tamquam speciem a R. Acetosa sezungunt. At hae notae fallaces omnino sunt, nam et in formis alpinis stipulae adsunt aequae longae et ciliato-lacerae ut in forma vulgari in plantis floribus nondum explicatis, quae dein veluti circumscissae decidunt. Manent vero quandoque fila tenuissima cauli agglutinata earum praexistentiam testantia. Folia basi nervis pluribus robustioribus et magis exstantibus praedita observantur interdum, quod perpetuum non est, et nervis variant vel in eodem folio altero latere pluribus, et diverso modo ramosis. R. arifolius Allioni est forma a Neotericorum planta plane diversa gerens folia triangularia Boni Henrici. R. nivalem esse formam R. Acetosae ex alpibus glacialibus cl. Bertolonius auctor est (conf. fl. Ital. IV. p. 253, 255), quam ex alpibus tirolensis habeo cum speciminiibus R. Acetosae mixtam. Si in sequendis artis praecipitis nobiscum consentanei esse velimus et R. Acetosella in species plures nobis disperienda.

R. Acetosella L. In montanis et subalpinis praesertim solo granitico.

Tofieldia calyculata Wahlb.

T. borealis Wahlb. In Pustaria ad alpem Glockner; in alpe Camerlo districtus di Fassa.

Veratrum nigrum L. In sylvaticis montanis Tiroliae australioris et conterminis italicis provinciis Brixensi, Veronensi, Bassanensi.

Veratrum album L. V. Lobelianum Neotericorum non differt.

Triglochin palustre L.

Colchicum autumnale L. In subalpinis autumno florens folia brevia e terra vix emminentia edit. Specimina quae nomine C. alpini ex Helvetia mittunt non differunt.

Alisma Plantago L.

VII. Cl. Heptandria.

Trientalis europaea L. In valle Venosta media, alpe dicta Tarscheralpe circa boum mandram, altitudine supra mare fere 5000 pedum, solo granitico-schistoso. ⁴³⁾

VIII. Cl. Octandria.

Daphne Mezereum L. Chamaedaphne Matthiolii Comment. Provenit haec frequens in vallis Ananiae montibus Tridentino agro, Fructum piper montanum vocant (pepe montano) Math. Quo nomine et nunc rustici interdum ut drastico utuntur.

D. Laureola L. In Tirolia austro-occidentali ad lacum Benacum prope Ponale, rarissima, frequentior in proxima ditione Brixensi. In valle Anania non provenit.

D. alpina L. In demissis et montanis ditionis Roboretanae ad lacum Benacum usque.

D. Cneorum L. D. striata Tratt. Posterior differt tantummodo perigonio pubescente, quae forma per specimina frequentia pube sensim parciore cum priore confluit. ⁴⁴⁾

Passerina annua Wickstr. In Tirolia australiore rarissima.

Erica carnea L. In demissis, montanis, et alpinis solo calcareo frequentior.

E. arborea L. In districtu di Condino ad fines Brixenses.

Calluna vulgaris Salisb. Solo granitico frequentior, quam calcareo.

Chlora perfoliata L. In Tirolia australiore. Variat foliorum et corollae loborum forma. Ch. serotina Viviani. Koch. Ch. acuminata K. quae varietates per formas intermedias conjunguntur.

Vaccinium Myrtillus L. — *V. uliginosum L.* — *V. vitis Idaea L.*

V. Oxyccocos L. In palude sphagnoso in Bellamonte districtus di Fiemme cum Andromeda polifolia. Folia duplo minora quam in caeteris Europae regionibus.

Acer Pseudoplatanus L. — *A. campestre L.*

A. Platanoides L. In silvis Tiroliae cisalpinae austro-orientalis et austro-occidentalis, rarum.

Oenothera biennis L. Circa Bulsanum frequens, in reliqua Tirolia meridionali rara.

Epilobium angustifolium L. — *E. Dodonaei Vill.*

E. Fleischeri Hochst. In alpibus glacialibus Tiroliae austro-occidentalis et proximis Italiae insubricae, interdum cum torrentium aquis in eorum sabulo et glareis in regione culturae, ut in valle Ulten, et prope Mareit in districtu Sterzing.

E. hirsutum L. In demissis et temperatis, rarius.

E. parviflorum Schreb.

E. montanum L. In Tirolia meridionali cum varietatibus vulgare.

E. palustre L. In Tiroliae meridionalis frigidioribus infrequens. Spectabilis varietas omnibus partibus major: *E. Schmidtianum* in valle Taufers Pustariae.

E. tetragonum L. Prope Meran.

E. roseum Schreb. In demissis calidis et temperatis montanis, passim.

E. trigonum Schrank. In subalpinis silvaticis di Fiemme, di Primiero, Fassa et Karneid.

E. organifolium Lam. — *E. alpinum L.*

Epilobium salicifolium Facchini. Stoloniferum, foliis oblongo-lanceolatis, stigmate quadrifido. *E. organifolio* simile, a quo differt foliis angustioribus et stigmate diviso. Post observationem sex annorum quotannis saepius repetitam pro specie distincta

habendum esse censeo, nec forsan ut prolem hybridam ex E. montano et origanifolio, cum posterius in vicinia non reperiatur. Quoad nomen specificum cl. Fabricii praeceptum sequor „Optima sunt quae omnino nil significant“. Ad oras piscinae sub monte Schleern occidentem versus.

Polygonum Bistorta L. — *P. viviparum L.*

P. amphybium L. In Tirolia meridionali tam varietas lacustris quam terrestris

P. lapathifolium L. Forma communis in Tirolia meridionali vulgaris, varietas foliis subtus incano-tomentosis in Livinallongo.

P. Persicaria L. — *P. mite Schrank.*

P. Hydropiper L. In Pustaria orientali.

P. aviculare L. — *P. Convolvulus L.* — *P. dumetorum L.*

P. Fagopyrum L. — *J. tataricum L.* et *P. orientale L.*, illa in agris, hoc in hortis, culta, interdum quasi sponte proveniunt.

Adoxa Moschatellina L. In montanis, subalpinis et alpinis, infrequens.

Paris quadrifolia L.

IX. Cl. Enneandria.

Butomus umbellatus L. Prope Sigmundscron ditionis Bulsanensis.

X. Cl. Decandria.

Cercis Siliquastrum L. Ad confinium Tiroliae australis et provinciae Veronensis.

Dictamnus albus L. Non oportet ex mera novandi cupidine veneranda Linnaeana nomina abolere. Si quisque pro sua libidine nomina sua nova prioribus meliora existimans substituere velit, novandi numquam erit finis, et quae optima censem iste, pessima judicabit aetas ventura.

Ruta graveolens L. In agro Tridentino, Roboretano; ad lacum Benacum. Quamvis in australioribus abunde proveniat, tamen ex culta derivatam putamus.

Monotropa Hypopitys L. In montanis caldioribus, et temperatis, in silvis frondosis et acerosis.

Rhododendron ferrugineum L. Magis solo granitico.

R. hirsutum L. Magis solo calcareo. Haec et precedens species in alpinis, subalpinis, montanis, quin et non rara in regione vitis plaga septentrionali, vel locis umbrosis.

R. Chamaecistus L. In alpibus et in demissis, solo calcareo.

Andromeda polifolia L. In alpe Bellamonte di Fiemme; in monte Marcesina Vicentinorum prope fines Tirolensis (primum a rever. Paterno detecta).

Arctostaphylos alpina Spreng. In alpibus calcareis regionum frigidiorum.

A. officinalis Wimmer. In aridis montanis et subalpinis etiam in regione superiore Vitis.

Pyrola rotundifolia L. In montanis calcareis frigidioribus. Occurrit corolla hemisphaerica et patente.

P. media Sw. In Tirolia meridionali, solo calcareo passim.⁴⁵⁾

P. minor L. In Tirolia meridionali, rarer.

P. secunda L. — *P. uniflora L.*

Scleranthus annuus L. Occurrit interdum biennis.

S. perennis L. In valle Sarnthal et contermina ditione Bulsanensi, non rarus, solo granitico-porphyrico.⁴⁶⁾

Chrysosplenium alternifolium L.

Saxifraga Aizoon Jacq.

S. elatior M. K. In montanis, subalpinis, et alpinis Tiroliae austro-orientalis, et contermina ditione Feltriensi; in alpe Stilfserjoch prope Franzenshöhe ad fines Insubricos et Helveticos. *Obs.* Formas intermedias inter hanc et *S. Aizoon*, quae utramque conjungant, non observavi, quae de affinitate cum alterutra dubium parerent.

S. crustrata Vest. In montanis, subalpinis, et alpinis Tiroliae austro-orientalis, solo dolomitico-calcareo.

Saxifraga mutata L. In montanis, et subalpinis Tiroliae cisalpinae australioris, rarius mediae et septentrionalis, solo calcareo, et in montibus saxo granitico formatis ubi saxum calcareum emergit e. g. in valle Pfitsch.

S. Burseriana L. In Tirolia meridionali passim, in alpibus et in regione vitis, iisdem soli conditionibus ut praecedens.

S. squarrosa Sieb. Ad rupe dolomitico-calcareas Tiroliae austro-orientalis, finitimaeque Italiae septentrionalis. Non in Tirolia austro-occidentali.

S. caesia L. In Tirolia australi passim, solo calcareo, quin et granitico-schistoso.

S. oppositifolia L. In montanis, subalpinis, et alpinis, solo calcareo et granitico. Pedunculi foliati non raro semipollicares et pollicares.

S. biflora All. In alpibus glacialibus Tiroliae cisalpinae borealis et orientalis a monte Brenner in alpium catena ad Carinthiam usque, solo granitico-schistoso. — *Obs.* S. Rudolphiana causa pessimi nominis trivialis *S. biflorae* orta. Est enim *S. biflora* All. non raro caulibus 4—5floris, itidem non minus frequenter unifloris, ut etiam in alpe Kalserthörl observavi. Quanam de causa icon *S. oppositifoliae* in Sturm Heft 7 ad aliam speciem deducta fuerit intelligi non potest, quae exactissime *S. oppositifolia* ramis hornotinis floriferis semipollicaribus et pollicaribus refert.

S. bryoides L. Petala foliis caulinis mediis longiora. *Obs.* Myriades vidi et attentius observavi specimen hujus et sequentis speciei, nec formas ambiguas vidi. Si quis putat alteram cultura in alteram mutari resipiscet quum perpenderit, culturam errorum esse matrem fecundissimam.

S. aizoides L. Variat petalis flavis et croceis.

S. stellaris L. *S. Clusii* Gouan. *S. leucanthemifolia* Lapeyr. In alpibus Tirolensisbus potissimum calcareis vulgatissima. *Obs.* Ad confusionem summam pariendam nihil aptius inveniri poterat, quam hujus stirpis distinctio in duas species. Hac distinctione

factum est, ut quam plurimae et frequentissime occurrentes formae ad neutram referri possint.

Saxifraga cuneifolia L. In sylvis acerosis Tiroliae austro-orientalis et finitimae provinciae Bellunensis, rario.

S. muscoidea Wulf.

S. exarata Vill. In alpibus graniticis Tiroliae austro-occidentalis frequens, et austro-orientalis, rarius. *Obs.* Quamvis reperiantur formae intermediae, e. gr. in Seiseralpe, tamen cum progressionem continua non sistant, nec exceptio singularis regulam evertat, stata firmaque habenda species *S. exarata* a *S. muscoidea* distincta.

S. stenopatala Gaud. In alpe glaciali: Stilfserjoch, solo calcareo.

S. sedoides L.

S. Facchinii Koch. In alpibus calcareis di Fassa et contermina Seiseralpe, et Schleern, regione alpina superiore, locis glareosis. Planta diutina aetate durans surculis est sabulo et glareis immersis foliorum corruptorum reliquis tectis fragilibus caules floriferos compacte caespitosos sustinentibus. Petala flava, ex atro, vel dilute et pallide purpurea, apice rotundata vel emarginata, basi cuneata distantia, ratione magnitudinis ad calycem habita *S. planifoliae* duplo minora.

S. Seguieri Spr. In alpium glacialium regione superiore circa montem Ortler, solo granitico.

S. androsacea L. Forma insignis est foliis cuneatis apice dilatatis, dentatis, obtusissimis, solo granitico nascens; forma vulgaris saepius solo calcareo.

S. ascendens L. In subalpinis et alpinis passim, solo calcareo et granitico. Planta a *S. tridactylite* distinctissima vita bienni. Ex quo fit ut caulis basis in planta florente densa foliorum emortuorum rosula circumdetur, quod in *S. tridactylite*, utpote planta annua obtinere nequit. Inde utriusque speciei definitio construenda.

S. tridactylites L. In demissis calidioribus et montanis temperatis, in cultis et incultis.

Saxifraga petraea L. In montanis rupestribus Tiroliae maxime australis, rara e. gr. in ditione Roboretana in monte Baldo.

S. cernua L. In alpe quadam districtus di Livinallongo ditioni Bellunensi contermina, situ umbroso, semper frigido, septentrioni obverso, solo granitico-trappico. Raro florens ut scriptores idem de planta boreali referunt; inde caulis apice cernuus. At si floret caulis apex erigitur. Petala aliqua vel deficiunt, vel perfectis sunt multo minora. Reperta fuit etiam a solerti plantarum scrutatore: da Roit (in Bertol. flor. ital. dicto de Roitio) Agordensi, in alpe Monzoni di Fassa, qui exemplaria quibusdam dedit ut in Flora Italica Bertolonii videre est. Mihi nulla causa fuit horridas illas cautes pervestigandi.

S. rotundifolia L.

S. arachnoidea Sternb. In valle d'Ampola, et in valle di Vestino, solo calcareo. Stirps est annua sub rupibus in terra pulvrea a stillicidio abrosa, stillicidio germinans et enutrita imbrum impatiens. Caules fragilissimi, basi prostrata et saepe elongata terra laevi et mobili saepe tecti stolones mentiuntur.

Dianthus prolifer L.

D. Armeria L. In Tirolia meridionali rarissimus e. gr. prope Borgo in Valsugana, prope Bulsanum.

D. barbatus L. In subalpinis Tiroliae austro-orientalis finitimaque provinciae Bellunensis, in districtu di Primiero, di Fassa, di Agordo.

D. Carthusianorum L. — D. atrorubens L.

D. Seguieri Vill. Cum varietatibus.

D. glacialis Haenk. In alpium catena Tiroliae cisalpinae septentrionalis a monte Brenner ad moniem Glockner solo granitico-schistoso; in alpe Rodela di Fassa, solo granitico-trappico.

D. deltoides L. In Pustaria; in valle Venosta, solo granitico.

D. sylvestris Wulf. In demissis calidis et in alpibus.

D. superbus L. In montanis, subalpinis et alpinis.

D. monspessulanus L. In demissis calidis et rarius in alpibus, in Tirolia meridionali et contermina provincia Bellunensi. Dianthus

neglectus in Koch Taschenbuch ex alpe la Denna est forma alpina
D. monspessulanii.

Tunica Saxifraga Scop. Prope Bulsanum occurrit caulis
 pedalibus et sesquipedalibus erectis strictis.

Gypsophila repens L.

G. muralis L. Ad lacum Wolfsgruben in monte Ritten,
 rarissima.

Saponaria Vaccaria L. In Tirolia italica australiore rarer.

Obs. Non est neque esse potest *Ephemerum Matthioli*, quod
 pictum foliis frequentibus sparsis, quando quidem *Saponaria* utpote
 ad *Caryophyllearum* familiam pertinens, necesse est habeat folia
 opposita (conf. Jussieu gen. plant. class. XIII. ordo XXII.).

S. officinalis L.

S. ocymoides L.

Cucubalus bacciferus L. In valle Athesina prope Bulsanum,
 prope Kaltern, rarissimus.

Silene italica Pers. In ditione Bulsanensi, Tridentina et
 Roboretana. 47)

S. nutans L. Corolla variat colore.

S. Otites L.

S. inflata Sm. S. uniflora Bertol. quoad plantam alpinam
 Tirolensem et Feltrinensem.

S. Pumilio Wulf. *Obs.* Petalorum unguis basi intus bialatus,
 alis sursum in lineas elevatas abeuntibus, terminatis in dentes
 setaceos vel subulatos liberos in fauce corollae ejus coronam
 constituent. Hi dentes seu corollae corona, non raro, vel in
 floribus ex eodem caespite, deficient omnino, vel parvi sunt, aut
 brevissimi conspicui, vel deficit alter in eodem petalo, aut est
 altero minor. In alpibus Tiroliae austro-orientalis, solo granitico-
 porphyrico et granitico-trappico.

S. conica L. In vinearum agris tritico satis Tiroliae austra-
 lioris ad fines Veronenses, caulis glanduloso-pubescent.

S. Armeria L. In demissis calidis et montanis temperatis.

S. Saxifraga L. In rupestribus demissis calidioribus, et in
 alpibus.

Silene quadrifida L.

S. alpestris L. In alpinis, subalpinis, et cum fluviis et rivis in regione culturae in Tirolia australi, solo calcareo.

S. rupestris L. — *S. acaulis L.*

Cherleria sedoides L. In subalpinis et alpinis, frequentius ad rupes, solo calcareo et granitico. *Obs.* Petala saepissime nulla, cum adsunt modo parva modo calycem aequantia, aut calyce duplo breviora, linearia, vel linear-lanceolata, basin versus angustiora, apice integra, vel emarginata, aut truncata vel dentata, interdum oblique truncata, non raro inter se inaequalia, colore pallida, ut cum glandulis viridibus confundi non possint. Styli interdum quatuor cum capsula 4valvi obtuse tetragona. Quoad fructificationis partes duplex forma occurrit: longistamina, staminibus longioribus antheris fertilibus, et stylis brevioribus, et: brevistamina, staminibus brevioribus, antheris sterilibus et stylis longioribus. Genus plantae per omnes partes a ceteris Alsineis insigniter distinctae bene constitutum staminum et stylorum varia proportione, defectu petalorum, vel praesentium mutabilitate.

Ch. octandra Sieb. Adeo Cherleria est, ut quamvis frequens, a Botanicis peregrinantibus pro rarissima fuerit habita, cum Ch. sedoide commutantibus. Cum Alsines genere Wahlenbergii affinitatem habet nullam, aut certe non tantum ut Moehringia et Arenaria. Cum Cherleria sedoide, praeter omnium partium simillimam structuram, forma longistamina et brevistamina est conjuncta. In forma longistamina styli inclusi, et stamina exserta, antheris fertilibus; in forma brevistamina styli exserti et stamina inclusa, antheris sterilibus. Petala saepissime nulla vel minima subulata in forma brevistyla filamentum dimidium vix aequantia, saepe inter se inaequalia. Capsula calyce sesquilonigior magis acuta et calyx sub anthesi minus patens quam in Ch. sedoide. In Tirolia austro-orientali, finitimisque ditionibus italicis, in districtu di Fassa et circumstantibus districtibus a ditione Brixinensi ad Carinthiam, ad rupes calcareo-dolomiticas, Saxifrageae squarrosae socia.

Alsine biflora *Wahlenb.* In alpe Crespeina in valle di Gardena (non in Seiseralpe). Calycis foliola erecta et rigida petala in latus saepe deflectunt, ut corolla anomalam figuram exhibeat. Crescent in humo inter herbas breves raras situ molliter devexo, nec depresso, tanquam si a nimia humiditate laederetur.

A. laricifolia (*Arenaria striata L.*). In valle Venosta, et valle Ulten, solo granitico-schistoso. Petala oblongo-obovata.

A. (Arenaria) liniflora L. In imis vallium Tiroliae australis, prope Torbole ad lacum Benacum; in ditione Roboretana; in subalpinis in monte Maranza Tridentinorum; solo calcareo. Petala lato-obovata, qua vel unica nota a praecedente distinctissima. (Conf. Reichenbachii fidelissimas Icones fl. germ. Vol. V. tab. 211, 212.)

A. austriaca M. K.

A. verna *Bartl.* In demissis et alpinis, solo calcareo et granitico, omnium vulgatissima.

A. recurva *Wahlenb.* In alpibus graniticis, rario.

A. rostrata *Koch.* In valle Venosta, solo granitico-schistoso. Petala calycem aequantia vel eo parum breviora. Caules caespitosi basi decumbentes, si simplicissimi in plantis macris erecti sunt et sequenti similes; at hoc evenit exceptionis lege, vero exceptio non infirmat regulam.

A. fasciculata *W. K.* In Tirolia cisalpina australi et austro-occidentali.

A. tenuifolia *Wahlenb.* In demissis Tirolis australioris.

Facchinia lanceolata *Rchb.* In Tirolia austro-occidentali ad fines provinciae Bergomensis; austro-orientali in alpe Cima d'Asta; in districtu di Fassa, Kastelrutt, Karneid et Windisch-Mattrei ad radices montis Glockner prope fines Carinthiacos, ad rupes alpium calcareas, graniticas simpliciter dictas, granitico-schistosas, et granitico-trappicas, locis quam plurimis tamen desideratur.

Moehringia muscosa L. In Tirolia meridionali, cum varietatibus inter quas *M. sedifolia*; haec in districtu di Ampezzo ad fines provinciae Bellunensis.

Moehringia Ponae Fenzl. In Tirolia australiore finitimaque Italia septentrionali, ad rupes calcareas. Prope Salurn est foliis compresso semiteretibus supra planis, ad lacum Benacum, et ad rupes calidissimus montis Baldi foliis teretibus supra vix planiusculis.

M. polygonoides M. K.* — *M. trinervia Clairv.

Arenaria serphyllifolia L.

A. ciliata L. In subalpinis et alpinis, solo calcareo. *Obs.* Radix juxta loci, climatis et aetatis differentiam caules edit plures vel pauciores magis vel minus ramosos foliis latioribus vel angustioribus instructos.

A. biflora L. In alpibus graniticis.

Holosteum umbellatum L.

Stellaria cerastoides L.* — *S. nemorum L.

S. media Vill.* — *S. graminea L.

S. longifolia Fries. Novit. p. 117—118, cum fusa descriptione. In Tirolia cisalpina in sylvis acerosis, passim, in occidentali in valle Venosta; in septentrionali prope Sterzing, in media in districtu di Karneid, di Fiemme; in orientali supra Windischmatrei in ascensu ad Kalserthörl. Calycis corollam subaequantis foliolis enervibus vel obscure trinervibus ovato-lanceolatis margine convexis abunde distincta a *S. graminea* instructa calycis foliolis acuminatis sub eadem latitudine longioribus margine magis rectilineo. Nec posterioris forma nemorosa gracilior est, nam haec etiam in sylvis characteres suos servat.

S. uliginosa Murr. In Tirolia australi rarior; in valle Venosta apetala.

Sagina procumbens L. In Tirolia meridionali vulgaris, in demissis, montanis et subalpinis. *Obs.* In aquosis, irriguis, ad scaturigines, caulis saepe elongatus radices agit quandoque ad ultimos nodos usque, foliis instructus glabris. Folia, quamvis admodum raro, sunt minutissime, vel evidentius denticulata aut ciliata, in caule radicante vel breviore et erecto non radicante. Ad ligna putrida crescens reperta caulis non radicantibus et foliis glabris et laevibus. ⁴⁸⁾

Spergula saginoides L.

Sp. subulata Sw. In Valsugana Tiroliae-austro-orientalis, solo granitico-schistoso.

Sp. glabra W. In alpe calcarea Colsanto ditionis Roboretanae in regione arborum suprema, inter herbam densam brevem.

Sp. arvensis L. In agris et arvis Tiroliae meridionalis frigidioris; etiam in Pustaria orientali (cujus caput est oppidum Lienz): Sp. laricina Wulf.

Cerastium. Observ. Cerastia xerographis botanicis male nota. Sciendum specimen, quamvis plura similia, speciem non representare. Quae Natura fundit, non cognosci ex exemplaribus casu surreptis, deficiente inter eorum formas nexus. Videntur ad unam speciem debere referri: *C. glomeratum* Thuill. Koch. *C. semi-decandrum* L. *C. pumilum* Curt. Koch. *C. glutinosum* Fries. Koch. Ab hoc forsan poterit specie distingui: *C. triviale* Lk. Koch, si meliores distinctionis notae reperiuntur. Pro specie distincta hucusque habendum *C. brachypetalum*. Inter *C. alpinum* L. et *C. latifolium* L. tot et tam variae dantur formae, ut distinguere in species idem sit, ac in scientiam confusionem inferre. *C. lanatum* Lam. *C. ovatum* Hop. *C. carinthiacum* Vest omnes *C. alpini* formae insignes merentur unaquamque ut varietates primi ordinis spectari. Ab istis ut species peculiares diversae jure habentur:

C. sylvaticum W. K. et *C. arvense L.* Ista de quibus hic verba fecimus species et formae reperiuntur in Tirolia meridionali et signanter: *C. lanatum* Lam. prope Mazzin in Fassa, *C. ovatum* Hop. in Pustaria orientali et contermina Carinthia superiore e. g. in alpe Pasterze; *C. carinthiacum* Vest (*C. ovatum* Hop. in Sturm Heft 64) in alpe Jurebel ad terminum districtus di Fiemme et Primiero. *C. sylvaticum W. K.* in districtu di Agordo prope S. Giovanni provinciae Bellunensis, et in silvaticis prope Grigno in Valsugana.

C. aquaticum L.

Oxalis Acetosella L.

Oxalis stricta L. In agris et vineis, prope Borgo in Valsugana, prope Roboretum; prope Recoaro in provincia Vicentina.

O. corniculata L. In agro Meranensi, et Bulsanensi; in Tirolia australiore et contermina Italia septentrionali passim. Planta perennis et longaeva.

Sedum Telephium L. S. maximum. S. latifolium auctorum. In demissis calidis et in tota culturae regione. Folia cordata vel basi rotundata, interdum inferiora cuneata, ovata, vel lato-ovata, aut ovalia. Petala ex albido et viridi pallescentia, nec purpurea.⁴⁹⁾

S. Anacampseros L. In Tiroliae cisalpinae austro-occidentalis alpe Linciada ad supremum arborum terminum, rarissimum.

S. Cepaea L. In Judicariis australibus ad fines Brixenses, utraque montium plaga.

S. hispanicum L. In Tirolia australiore, solo calcareo: in valle di Ledro; in Tesino, in Primiero. Numquam in rupibus, saepius in regione superiore culturae repertum.

S. villosum L. In convalle alpina Duron in districtu di Fassa, rarissimum.

S. atratum L. — *S. annum L.*

S. repens L. In alpibus graniticis, passim. Plantam esse perennem, praeter alia, testantur caules emarcidi anni praeteriti caules floriferos comitantes.

S. album L. — *S. acre L.* — *S. sexangulare L.*

S. dasypphyllum L. Obs. S. petraeum in Seguieri Pl. veronen. est S. dasypphyllum vulgari duplo majus foliis duplo majoribus, calyce, corolla, et germinibus in delineatione floris confusis, ut a scriptoribus pro Sempervivo habitum fuerint. Hoc mihi reperatum in valle Aviana montis Baldi, et foliis quadruplo majoribus in Canal San Bovo districtus di Primiero.

S. reflexum L. Supersedemus observationibus, donec lis de differentia S. reflexi et S. rupestris (S. albescens) direpta sit, Formae quae a cl. Reichenbachio in suis Iconibus plant. crit. tab. 276 et 286 exhibentur, a cl. Bertolonio ad S. albescens et ad S. reflexum allatis, in Tirolia italica frequentes occurunt,

XI. Cl. Dodecandria.

55

quamvis cymis non ita involuto-curvatis ut in icona Clusii (hist. pl. LX. fig. prima).

Lychnis Viscaria L. In Tiroliae meridionalis montanis, solo granitico.

L. Flos cuculi L.

L. Coronaria L. In Tirolia australi in imis vallium.

L. Flos Jovis Lam. In subalpinis et montanis: In alpe Maranza ditionis Tridentinae, solo calcareo, in valle Ulten et in valle Venosta, solo granitico-schistoso.

L. vespertina Sibth. In demissis et montanis. Perennis.

L. diurna Sibth. In montanis et subalpinis. Haec a praecedente non solum characteribus distincta, sed et vitae temporeamento.

Agrostemma Githago L.

Phytolacca decandra L. In Tirolia australi, culta, et rarius ex cultis emigrans.

XII. Cl. Dodecandria.

Lythrum Salicaria L.

Asarum europaeum L.

Portulacca oleracea L.

Agrimonia Eupatoria L.

Argemonia agrimonoides Barbarus Necker dixit Aremonia, quod dammandum, dum prostat nomen antiquum. In montanis Tiroliae australioris ad fines Brixienes, Veronenses et Bellunenses.

Reseda lutea L. In montanis solo calcareo. 50)

R. Luteola L. In districtu Meran, et contermina valle Venosta; in valle Tellina Insubriae.

Sempervirum tectorum L. In demissis calidis, montanis, subalpinis, alpinis solo calcareo et granitico, numquam in tectis. In montibus lacui Benaco imminentibus robustum, flores ferens non raro ducentos et plures.

Sempervivum Wulfenii Hp. In subalpinis et alpinis, solo granitico, infrequens.

S. arachnoideum L. In demissis calidioribus, montanis, subalpinis et alpinis, solo granitico. ⁵¹⁾

S. Funkii Br. In subalpinis et alpinis Tiroliae cisalpinae occidentalis in valle Venosta et valle Ulten; mediae in districtu di Fassa et contermina provincia Bellunensi; septentrionalis et orientalis in alpium catena, devexitate meridionali, a monte Brenner ad Carinthiam, solo granitico. Propaginum folia supra medium longe ciliata, juniorum apice pilorum longiorum penicillo barbata, lateribus infra apicem rectilineis vel laeviter concavis acuminata.

S. dolomiticum Facchini. Propaginum foliis brevissime ciliatis, corolla stellata, petalis lanceolatis. Cetera Sempervivo Funkii simile. Germina angustiora *S. arachnoidei*. Post quam per plures annos observaverim, et constantem pubis longioris defectum in propaginum foliis deprehendissem, pro specie a caeteris distincta declarari non dubitavi. Pube et ejus differentiis constant plures species. Pubes notam praebet eximiam, cum constans sit in hoc genere. Pube distinguitur *S. Funkii* a *S. arachnoideo*, et ab utroque *Sempervivum* quod dixi *dolomiticum*, *S. Kochii* (*arenarium*) a *S. hirto*. In alpe Seekofl observavi. *S. dolomitici* individua numero infinito, nec umquam folium ciliis longis. *S. Funkii* cuius pubes longior ad propaginum foliorum marginem aequa constans est, medium tenet inter *S. arachnoideum* et *dolomiticum*. Flos in his tribus speciebus similis est forma et colore, hac differentia, quod *S. arachnoidei* petala sint et breviora et numero pauciora, quam formam etiam in *S. dolomitici* specimenibus minoribus observavi, ut solo flore haec species ab invicem nequaquam distingui potuissent. Petala harum trium specierum sunt lanceolata supra ex roseo dilute purpurea stria latiore seu fascia media saturatiore. Quoad haec differunt a *S. montano*, cuius petala sunt linearis-lanceolata, seu praecedentium duplo angustiora, a medio magis attenuata et acuminata fere cuspidata (nimio lata pinguuntur in Sturm Heft 67) supra e livido et pallido

purpurascentes, medio vel tota superficie, lineis saepe interruptis tenuissimis pallidioribus. S. Funkii et S. dolomiticum statura sunt S. arachnoideo et S. montano duplo majora, foliis propaginum in postremo obtusioribus. S. dolomiticum crescit in alpium regione inferiore, media, et suprema ad extrema juga usque, in monte di Pozza districtus di Fassa; in alpe Seekofl districtus Enneberg, inter vallem di Badia, di Ampezzo et Pustaria (cujus montis altitudinem Geographi austriaci signarunt pedum 8950 supra mare), solo calcareo-dolomitico puro, unde nomen. In aliis alpibus dolomitici quoque repertum, sed caule et floribus destitutum.

Sempervivum montanum L. In demissis montanis, subalpinis, alpinis, solo granitico vulgare.

S. hirtum L. In monte Baldo ad rupes calcareas prope fanum dictum: la Madonna della Corona.

S. Kochii (arenarium Koch) *Facchini*. In Pustaria in primis orientali a regione culturae ad glaciei terminum. In Comelico Bellunensium alpe dicta il Forame paulo supra arborum terminum. In regione montana temperata statura est semipedali et pedali, in alpinis frigidis e. gr. in Comelico, pollicari et bipolllicari. Calycis proportio ad corollam est ut 3 ad 7 vel 8, seu ut 1 ad $2\frac{1}{2}$, ergo calyx non est corolla triplo brevior, sed corolla dimidia paulo brevior; tamen in speciminiibus cultis observavi etiam corolla triplo breviorem. Nomen erat mutandum utpote minus aptum, juxta artis praeceptum, nomina mala esse mutanda si eorum usus nondum invaluerit (conf. Marschall fl. cauc. III. 195). Non enim in silvarum arena magis crescit, quam caeterae species congeneres, sed in praeruptis, rupestribus, muris, inter herbam brevem raram vel densam, locis apricis. Synonyma: S. hirtum Sternberg (Reise in die rhätischen Alpen p. 61), S. arenarium Koch (syn. ed. I. p. 833), S. hirtum var. pumilum Bertoloni fl. ital. Vol. V. p. 113—114.

S. Braunii Koch (in Sturm Heft 67). Dubito an possit haberi pro vera specie, an non potius pro prole hybrida ex S. Wulfenii, et montano, in quorum societate crescit. Sunt enim

omnes partes, modo summe variabili, forma et magnitudine intermediae inter praedictas species, ut nunc magis ad primum, nunc magis ad posterius accendant. Quin et corollae color eodem modo variat, nunc ex luteo flavus Sempervivi Wulfenii, nunc, continuitate graduum mediorum, sordide purpureus Sempervivi montani. Crescit in districtu di Fassa et contermina ditione provinciae Bellunensis. In alpium catena a monte Brenner ad Carinthiam, devexitate meridionali solo granitico. *Obs.* Soli natura, in quo crescunt Sempervivorum Species, est plerisque peculiaris. *S. hirtum* mihi unico loco repertum, erat ad rupes calcareas. *S. tectorum* exit tam solo calcareo, quam granitico. *S. dolomiticum*, ut dictum est solo calcareo proprium, solo granitico cujusque generis longe distante. Ceterae in istis regionibus crescentes solo granitico, omnibus ejus formis aut generibus, sunt propriae, quamvis quandoque etiam solo calcareo reperiantur. Ast advertendum tunc solum graniticum semper in propinquu reperiri, ut non calcareum sed mixtum dici debeat; quapropter hoc in casu pro granitico debet haberi. Hoc advertendum de omnibus regni vegetabilis stirpibus solo cuidam propriis, quae utrius, calcareo et granitico communes, hac cautela neglecta, censentur.

XIII. Cl. Icosandria.

Opuntia vulgaris Mill. In glareis et ad rupes calidissimas in collibus et ad montium radices copiosissima prope Bulsanum.

Philadelphus coronarius L. In silvaticis Tiroliae calidioris australioris omnino sponte proveniens.

Punica granatum L. In Tiroliae australis calidioribus quasi sponte. ⁵²⁾

Prunus spinosa L. — *P. insititia* L. — *P. avium* L.

P. Padus L. — *P. Mahaleb.* L.

Spiraea Aruncus L. — *S. Ulmaria* L. — *S. Filipendula* L.

Spiraea decumbens Koch. S. ulmifolia Suffren. S. flexuosa Reichenb. In provincia Bellunensi, in districtu di Agordo; in valle di Zoldo inferiore versus Longaron. *Obs.* Planta solo calcareo propria, quae cum versus Gazzoldo districtus Tirolensis di Primiero in solum schistoso-micaceum (graniticum) incidit, repente evanescit, locorum rationibus caetera paribus.

Cydonia vulgaris Pers. In silvis prope Roboretum, quasi sponte rara.

Pyrus communis L. Variat foliis tomentosis.

P. Malus L.

Sorbus domestica L. Prope Bulsanum, sed florens non reperta.

S. aucuparia L.

S. Aria Crantz. — *S. terminalis* Cr.

S. Chamaemespilus Cr. In alpinis, subalpinis, et montanis in suprema cultura regione.

Mespilus germanica L. Prope Bulsanum, rarissima, ex culta inter frutices emigrans. ⁵³⁾

Aronia rotundifolia Pers.

Cotoneaster vulgaris Lindl. Forma calycibus pedunculisque tomentosis a quibusdam pro bona specie habita vix ut bona varietas spectanda. ⁵⁴⁾

Crataegus Oxyacantha (C. monogyna Jacq.). Flores monogyni, stylus parum lateralis, pedunculi et calyces glabri, rarius pubescentes, vel villosi. In Tirolia australi et contermina Italia septentrionali. ⁵⁵⁾

Rosa spinosissima L. In montanis ditionis Roboretanae, Tridentinae et Bulsanensis; prope Bellunum.

R. alpina L.

R. rubrifolia L. In Tirolia cisalpina media, orientali, et contermina provincia Bellunensi.

R. glandulosa Bellardi. In valle Venosta media; in valle Tellina Insubriae prope Bormio.

R. canina L. Cum varietatibus Kochianis et aliis varietatibus secundi ordinis.

Rosa rubiginosa L. Cum varietatibus: macrantha, micrantha, macrophylla, microphylla, aliisque.

R. villosa L. spec. pl. *R. pomifera* Lobel (*Fruticum adversaria p. 446* in margine), et nuperorum. *R. tomentosa* Sm. *R. ciliato-petala* Besser Koch. *Obs.* In *Rosae pomiferae* charactere scriptores *Florae Europae mediae* requirunt tamquam notam essentialē petala ciliata (conf. *Reichenb. fl. exc. Nr. 3974*, Koch syn. p. 228, *Bertoloni fl. ital. V. p. 190*) et omnes laudati auctores habent ex Fassa. Verum in hoc districtu ubi *Rosa dicta pomifera* per totam ejus ditionem, declivitatibus aridis vulgaris est, frustra quis petalum ciliatum quaequivit. Distinguunt insuper scriptores *Rosam pomiferam* fructibus globosis pulposis nutantibus seu cernuis a *Rosa tomentosa*, cui tribuunt fructus erectos duros cartilagineos, oblongos. Ast hae qualitates et attributa pendent a loco, et quam maxime ab anni diversa temperie. In demissis et montanis subcalidis fructus jam aestate in spectabilem magnitudinem excrescent, penduli, teneri et pulposi. In montanis editioribus subfrigidis tales fiunt, quos diximus annis calidis. Annis vero frigidis, vel per aestatem frigidis tempestibus ingruentibus, ad serum usque autumnum sunt quales de *Rosa tomentosa* describuntur; ut ex uno eodemque frutice, anno calido, et frigido, utriusque speciei fructus sit decerpere. Quoad *Rosam ciliato-petalam* attinet, gaudemus nomen, si quod aliud, summe barbarum, posse antiquari, deleta simul specie, quae neque ut varietas secundi ordinis haberri potest. Si qui restitutioni Linnaeanae speciei quid objicent ex observationibus ex cultura freti affirmantes *Rosam pomiferam* et *R. tomentosam* in hortis immutatas persistere, reponemus plantas quasdam cultura cito, alias numquam mutari quin causam quis perspicere possit; hinc culturam errorum esse matrem faecundissimam. Crescit in Tirolia australi passim, nullibi tamen, praeterquam in districtu di Fassa, abunde. Forma vulgarior est petalis non ciliatis in valle Ulten; in Judicariis; prope Roboretum et alibi. ⁵⁶⁾

R. arvensis L.

Rosa gallica L. R. pumila Jacq. Prope Gries in ditione Bulsanensi; prope Hafling in ditione Meranensi; in valle Anania inferiore ad sinistram fluminis Noce in sepibus, dumetis et agro-rum marginibus.

Rubus Idaeus L. — *R. saxatilis L.* — *R. caesius L.*

R. fruticosus L. Cum omnibus varietatibus Kochianis. *Obs.*

Sunt qui ut numerum specierum augeant omne ope nituntur. In propria regione reperient fortasse formas, quae ipsis distinctae videbuntur species. At si et alias regiones explorare voluerint, reperient alias, quae distantiam inter eas, quae in suis regionibus crescent, explebunt omnino. Qui multiplices Ruborum species urgent, si sibimetipsis consentanei esse velint, pari ratione proximas Rosas in species aequae numerosas partiantur necesse est. Quod si praestabunt et ipsis feliciter cesserit, et earum Rubos adoptabimus.

Fragaria vesca L. — *F. elatior Ehrh.* — *F. collina Ehrh.*

Comarum palustre L. In montanis et subalpinis, rarius.

Potentilla supina L. In demissis et montanis, raro.

P. norvegica L. In Tiroliae austro-orientalis districtu di Primiero occidentem et orientem versus, in supra culturae regione et paulo supra rarissima.

P. rupestris L. — *P. Anserina L.*

P. hirta L. In Tiroliae meridionalis valle Athesina, prope Tridentum, rara; in ditione Bulsanensi, passim. Forma minor caulibus adscendentibus in districtu di Primiero. *Obs.* In cl. Elsmanni catalogis manuscriptis recensetur: *P. recta*, nec *P. hirta*, ab ipso in ditione Bulsanensi lecta (conf. Mertens u. Koch Deutschl. Fl. III. p. 520. Koch synops. p. 213). Cum vero planta in regione Bulsanensi nascens sit caulibus quidem erectis, interdum etiam bipedalibus, sed pilis brevioribus constanter simplicibus, nec glanduliferis obsitis, pro *P. hirta L.* potius habendam esse autumno, quae a planta quam in moeniis urbis Patavii legi et ad cl. Bertolonium misi (conf. Bertol. fl. ital. V. 350 sub *P. hirta* 5) tantum foliis paulo latioribus minus profunde incisis differt.⁵⁷⁾

P. argentea L.

Potentilla inclinata Vill. P. collina Wib. Koch. P. Güntheri Wim. et Grab. In Tirolia cisalpina media et septentrionali per universam regionem culturae. *Obs.* Caules decumbentes vel prostrati pedunculis adscendentibus graciles, vel ascendentes, vel oblique erecti robustiores; folia subtus pallide viridia, vel canescens vel incana vel ex incano albescens. Fortasse non errant qui putant hanc et P. argenteam esse quidem distinctas, si ad extremas formas tantum respicuntur, reperiri vero formas intermedias copiosas, quae continua progressionem utramque conjungunt (conf. Wimmer et Grab. fl. silesiaca II. 65).

P. reptans L.

P. aurea L. Solo granitico et calcareo.

P. salisburgensis Haenke. Solo calcareo et granitico.

P. verna L. Obs. Quid sub P. opacae nomine intelligi debeat, non liquet, cum variis scriptores varie describant.

P. grandiflora L. In alpibus graniticis passim, tamen infrequens.

P. minima Hall. fil. In Tiroliae meridionalis alpibus regionum frigidiorum solo calcareo passim. Obs. Solo granitico puro h. e. sine mixtura terrae calcareae, nullibi visa.

P. frigida Vill. In Tiroliae alpium catena, devexitate meridionali, solo granitico, raro.

P. caulescens L. Ab imis vallium ad alpes praesertim ad rupes calcareas.

P. alba L.

P. nitida L. In subalpinis et alpinis Tiroliae austro-orientalis.

P. Fragariastrum Ehrh. P. micrantha Ram. Koch. In Tirolia italica austro-occidentali. Folium cauline simplex, vel foliolo laterali minore auctum, vel ternatum.

Tomentilla erecta L. Cum Potentilla conjungenda.

Geum urbanum L.

G. rivale L. In montanis aquosis, humidis, in subalpinis nemorosis uidis et siccis, et in alpium regione inferiore (*G. pyrenaicum* Heusler ex monte Gazza Tridentinorum). ⁵⁸⁾

Geum reptans L. In alpibus graniticis, rarum; in alpibus calcareis rarissimum.

G. montanum L.

Dryas octopetala L. In alpinis, subalpinis et montanis in regione culturae.

XIII. Cl. Polyandria.

Chelidonium majus L.

Papaver alpinum L. In alpibus calcareis, rarius graniticis.

Obs. Formam qualem sistit Crantzii Icon (stirp. austr. II. tab. 6 fig. 4) etiam in Tirolia, locis subalpinis non admodum frigidis, reperitur. Nostram unice ex colore corollae diverso specie separare non audemus.

P. Argemone L. Ad viam regiam prope Tione in Judicariis; inter segetes biennes in Eggenthal districtus Karneid.

P. Rhoeas L. — *P. dubium L.*

Actaea spicata L.

Tilia grandifolia Ehrh. — *T. parvifolia Ehrh.*

Helianthemum Fumana Mill.

H. oelandicum Wahlenb. Si quae differentia est, pendet a climate, non a solo.

H. vulgare Gärtn. *Obs.* Varietates quocumque climate, tam meridionali locis aura italica afflatis, quam interioribus frigidioribus, sive demissis, sive elatis proveniunt.

H. polifolium De C. In Tirolia australiore, finitimisque provinciis Veronensi et Brixensi.

Nymphaea alba L. In lacubus locis demissis et montanis temporatis.

Nuphar luteum Sm.

Poeonia peregrina Mill. *P. officinalis* auctorum. In Tiroliae australioris demissis, regione montana media et superiore, solo calcareo, in Valsugana orientali; in ditione Roboretana, in districtu

di Riva, di Arco, finitimisque provinciis Veronensi et Brixensi. — Mutationem P. peregrinae in P. officinalem observavi in horto cl. Sartorellii in Valsugana.

Delphinium Consolida L.

D. elatum L. Koch. D. montanum DC. Bertoloni. In alpe Vette di Feltre tam in ditione Feltrensi quam Tirolensi. *Obs.* In devexitate septentrionem spectante est forma foliorum segmentis latioribus (conf. Reichenb. Icon. fl. germ. Nr. 4677), in devexitate meridionali angustioribus (Rchb. ic. 4676 β et 4676 b). Corollae color non facit speciem.

Aconitum Anthora L. In Tirolia austro-orientali, alpe Broccon in Paroecia di Tesino.

A. Napellus L. Obs. Duae sunt formae principes, quae pendent a loco; alia in regione montana media et superiore crescents, caule elato, racemo primario aliis racemis lateralibus basi aucto, galea elongata elevata; alia duplo minor in subalpinis et alpinis crescents, racemo plerumque unico, galea depressa brevi, quae nunc hians nunc incumbens. Quin et galeae rostrum variat forma et figura magis elongatum, aut brevius, declinatum, porrectum aut recurvum. Variat praeterea foliorum laciniis latioribus et angustioribus, pedicellis glabris, quae vulgatior, et pubescentibus in Tirolia austro-orientali et contermina Carinthia occurrens. Variat rarissime colore perigonii pallide cinereo.

A. variegatum L. Lycocotonum caeruleum parvum Dodon. Lobel. Acon. Lycoc. X. Clusius. In Valsugana australi, et in quibusdam aliis montibus Tiroliae italicae rarius. Planta Tirolensis allegatis iconibus exactissime respondet.

A. Cammarum L. A. Lycoct. IX. Clusius. A. Bernhardianum Wallroth Sched. t. II. In Tirolia austro-orientali ad radices montis Glockner.

A. paniculatum Lam. In sylvis passim. Variat aliquantum forma galeae. *Obs.* Flores in apice racemi primarii, et racemorum lateralium evolvuntur primi, quod perpetuum est; contrarium obtinet in ceteris Aconitis (conf. Rchb. exc. Nr. 4684). Ad hoc animus advertant scriptores de mutatis formis. *Obs.* Veteres

meminerunt Aconiti coma mutante. Est forma casu enata, quae de quocumque Aconito reperiri potest, si forte caulis debilior causa quacumque versus terram deprimitur. Tunc apex cum floribus erigitur. Dicerpta pars superior caulis racemum, qui erat erectus, ut reclinatum in Herbariis ostendit. Talem fortuitam formam observavi loco nemoroso ad radices montis Glockner.

Aconitum Lycoctonum L. Galea superne aequalis, vel utrimque inflata, vel posterius tantum, vel anterius, et interdum simul latere anteriore concavo arcuato; hoc est *A. ranunculifolium* Reichenb. icon. fl. germ. Nr. 4681 b., in monte Schleern, proximisque vallibus di Gardena et Fassa.

Aquilegia vulgaris L. A. atrata et nigricans Auctorum. Forma scriptoribus dicta *A. vulgaris* in valle Venosta; *A. atrata* ubique vulgaris. *Obs.* Observavi in horto alteram in alteram mutatam, servato tamen colore plantae sylvestris.

A. pyrenaica DC. In Tirolia meridionali, finitimaque Italia septentrionali, passim.

Clematis recta L. In demissis Tiroliae calidioris magis australis.

C. Vitalba L.

Thalictrum aquilegifolium L.

T. alpinum L. In Seiseralpe districtus Kastelrutt; in valle Duron districtus di Fassa.

T. foetidum L. In Tirolia meridionali, sparsim solo calcareo, et granitico.

T. minus L. Th. sylvaticum Koch. Th. majus Jacq. Th. Jacquinianum Koch. *Obs.* Planta semipectalis et sexpedalis; radix fibrosa, vel terra soluta, praesertim silvatica, rhizomate elongato repens. Ab imis vallium ad summas alpes.

T. elatum Jacq. In districtu di Livinallongo. Distinctum praecipue caulibus profunde sulcatis.

T. simplex L. In districtu Sterzing ad radices montis Brenner.

T. flavum L. *T. angustifolium* Jacq. Koch. *Obs.* Plerique autorum tribuunt *T. flavum* radicem fibrosam, aliqui repentem. Item quaerendum an *T. simplex* et *galoides* sint merae *T. flavi*

varietates, negotium sibi naturae scrutatoribus sumentibus, cui Xerographi pares esse nequeunt.

Anemone Hepatica L. — A. vernalis L.

A. Pulsatilla Auctorum meridionalium. A. montana Germanorum. In Tirolia cisalpina media vulgatissima in ditione Bulsanensi; in australiore in ditione Tridentina, et Roboretana, in orientali in Pusteria prope Bruneck; in occidentali in valle Venosta; in septentrionali prope Sterzing, in imis vallium et in regione montana temperata, rarissime in supra regione culturae. *Obs.* Matthiolus perigonum dixit stellatum, et stellatum habet Fuchsius. Nomen ipsum germanicum antiquum: Küchenschelle indicat florem campaniformem nec stellatum. Hoc intelligendum de ejus figura, quam praesefert compressum et siccatum; necesse est enim florem campaniformem polypetalum compressione dilatari, eo vero magis, si charta comprimens e facie florem urgeat. Sic flores Anemones Pulsatillae germanicae siccatus stellatos obtinemus. Nec potuerit Matthiolus flores aliter describere, cum ille in natura vivente peregrinus esset (conf. Scop. fl. carn. in praefatione), et omnes plantas describeret siccias. Idem contigit nuperis plantam hanc nostram meridionalem ab alia septentrionali distinguentibus, teste cl. Koch (conf. Flora Jahrg. 1845 p. 632, et in Sturm Heft 89, 90) quibus observandae plantae vivae et sponte nascentis facultas non fuit. Ex hac causa icones, quotquot ad hunc usque diem prolatae fuerunt, quoad florem, omnes malae. Nec melior est quae in Sturm (Heft 90 Nr. 2), ad plantam cultam facta, sistens florem nimis expansum, quae insuper mala est, quatenus perigonii phylla apicem versus nimis elongata sistit. Color etiam malus, purpureus ultra quam par erat et dilutior. Hujus infelicitatis cultura causa fuit — culta namque planta pinguitur, — docente nos jam prisco botanices parente cultura plantas interdum mutari (Theophrast. hist. plant. liber I. cap. 3). Ergo flos Anemones Pulsatillae cis alpes crescentis est campanulatus ad medium usque hemisphaericus phyllorum apicibus patulis, vel patentibus, saepissime qualis pinguitur in Sturm (Heft 89 Nr. 12) nomine „*Anemone Pulsatilla L.*“, qui caelo sereno et sole meridiano

parum ampliatur, perpetuo formam servans campanulatam. Differentia plantae australis a cognomine septentrionali posita esse videtur in pedunculo nutante, quem in posteriore dicunt esse erectum, et floris colore, quem pro nota specifica furtim adhibent. Scriptores meridionales plantam meridionalem Pulsatillam vocant nomine antiquissimo; septentrionales contra artis praecepta („nequit planta tritissima assumere novum nomen“) plantam antiquam vulgatissimam ipsis non bene notam nomine novo: A. montanam.⁵⁹⁾

Anemone narcissiflora L. In Tiroliae australioris montibus et alpibus calcareis.

A. alpina L. A regione culturae ad alpes, solo calcareo et granitico. *Obs.* Ex colore perigonii varietas separari nequit, vel necesse est plures statuere, colore per gradus variante.

A. baldensis L. In subalpinis et alpinis, solo calcareo.

A. nemorosa L. In regione vitis, et in subalpinis; in Val-sugana; in ditione Roboretana; in Judicarii.

A. ranunculoides L. In montanis Tiroliae australioris e. gr. in monte Baldo.

A. trifolia L. In imis vallium Tiroliae calidioris, et in montanis.

Adonis aestivalis L. In valle Anania; in valle Venosta; in valle di Fiemme. Variat floribus pallide albidis et pallide sulfureis.

A. flammea L. In ditione Roboretana. Variat colore florum ut praecedens.

Ranunculus aquatilis pantothenix. In Tirolia australi vulgaris. *Obs.* R. paucistamineus Tausch. Koch, nihil aliud est quam forma minor locis frigidioribus vel editioribus crescents, staminibus 12 et paucioribus, 14 et 16 et 18.⁶⁰⁾ Alia forma crescit in lacu convallis subalpinae di Tovel in Anania foliorum laciiniis ad divisiones secundarias linearie-cuneatis, apice saepe obtusis striatis et ciliatis.⁶¹⁾ Varietas: aquatilis tripartitus in aquis lente fluentibus in districtu Windischmatrei Pustariae orientalis.

R. divaricatus Schrank.

R. fluitans Lam. In valle Athesina prope Vadena et Sigmundscron.

Ranunculus rutaefolius L. In alpibus calcareis Tiroliae austro-orientalis frigidioris in regione alpina inferiore et media.

R. glacialis L. In alpium locis editissimis et regione media.

R. Seguieri Vill. In alpium regione inferiore et media Tiroliae austro-orientalis et contermina ditionis Feltriensis, solo calcareo praesertim ferrugineo et granitico-trappico mixto. Crescit etiam in montis Bondon acumine dicto il dosso d'Abamo, quem locum adierat Cl. Seguier quin plantam observasset, alias dedisset ejusdem iconem perfectam.

R. alpestris L. In montibus et alpibus calcareis a provincia Brixensi ad Carinthiam et Forum Julii usque. *Obs.* Si quis R. Traunfellneri sibi comparare voluerit, nihil aliud ei agendum quam sibi inter R. alpestrum formas seligere foliis profunde divisis laciniis acutis, quae reperiet etiam ad petiolum usque partita. Haec Ranunculi forma frequens est in alpe Stilferjoch (Wormserjoch).⁶²⁾

R. aconitifolius L. In subalpinis, infrequens.

R. pyrenaeus L. In alpinis et subalpinis districtus di Fassa, di Fiemme, solo granitico, et unico loco solo calcareo.

R. Flammula L.

R. reptans L. Ad lacum subalpinum dictum la Garaita in Canal San Boyo districtus di Primiero.

R. Lingua L. In valle Athesina prope Bulsanum et Meranum versus.

R. Ficaria L.

R. Thora L. In montibus et alpibus calcareis, Tirolis australis temperatae.

R. Pthora Lobel. *Crantz* (in utroque scriptore ex vito typographicō Pthora). In alpibus Tiroliae austro-orientalis frigidioris, etiam in montium regione superiore et media. Nomen R. brevifolius et hybridus supervacaneum, et contra artis praecepta iunctum, cum antiquius praesto esset optimum; posterius vero pessimum, absurdum conceptum creans. Nomen Phthora non est barbarum cum sit graecum, nec barbara sunt vocabula, quibus usus est scriptor divinae elocutionis (conf. Theophrast. de caus.

pl. lib. 5 cap. 8, et in fragmento de odoribus). $\varphi\theta\sigma\rho\alpha'$ est a $\varphi\theta\epsilon\rho\omega$ corrumpo; corrumpit enim acrimonia corporis animalis. Reperiuntur interdum formae inter hunc et praecedentem ambiguæ, tamen admodum raro et exceptionis lege, at exceptio legem non labefactat.

Ranunculus auricomus L. In montanis et subalpinis regionum frigidiorum, rarior.

R. montanus W. Cum varietatibus, vulgatissimus.

R. acris L. — **R. lanuginosus L.** In sylvis infrequens.

R. polyanthemos L. R. nemorosus DC. In Tirolia meridionali et in provincia Bellunensi, passim, non admodum frequens.

R. repens L. — **R. bulbosus L.**

R. Philonotis Ehrh. In Valsugana; prope Molven in valle Anania; in provincia Bellunensi, rarissimus.

R. sceleratus L. In Tirolia meridionali rarior.

R. arvensis L.

R. parviflorus L. R. muricatus Host, quem cl. Kochius in omnibus suis scriptis fideliter exscripsit; conjectura facta ex vicinia loci, nam in Tirolia australi nec R. parviflorus nec R. muricatus hucusque repertus fuit. In provincia Brixensi ad lacum Benacum.

Caltha palustris L.

Trollius europaeus L.

Helleborus niger L. In ditione Roboretana, et caetera Tirolia australiore, finitimisque provinciis Vicentina, Veronensi, Brixensi, vulgaris.

H. viridis L. In Tirolia italica austro-occidentali prope Lacum d'Idro ad fines Brixenses, in ditione Feltriensi prope fines Tirolenses di Valsugana.

H. foetidus L. Prope Riva ad lacum Benacum; in districtu Condino Judicariensi.

XIV. Cl. Didynamia.

Mentha rotundifolia L. In Tirolia meridionali in monte Tatoga districtus di Primiero, rarissima; in provinciis Brixensi, et Mantuana ad Benacum, rarer.

M. sylvestris L. — *M. aquatica L.*

M. piperita L. Ad fossas vallis Taufers, rara, et ut videtur, ex hortis emigrans.

M. aquatica L. — *M. sativa L.*

M. arvensis L. — *M. Pulegium L.*

Horminum pyrenaicum L. A regione vitis ad alpes, vulgarissimum, solo calcareo proprium.

Lavandula vera DC. In collibus pratorum supra Civezzano ad orientem Tridenti, copiose, sata nec sponte.

Satureja hortensis L. Ad pedem montis Sorist in districtu Bassanensi propé fines Tirolenses a rever. Paterno primum detecta.

Origanum vulgare L.

Thymus Serpyllum L. Cum varietatibus, inter quas T. pannonicus All.

Satureja montana L. In Tirolia maxime australi et contermina provincia Veronensi; in regione montana temperata in Paroecia di Pieve di Tesino.

Hyssopus officinalis L. Ad rupem prope Roboretum versus Vallarsa, procul dubio ex hortis emigrans.

Melissa officinalis L. In valle Anania; prope Meranum, quasi sponte, sed ex hortis emigrans.

Calamintha Acinos Clairv. — *C. alpina Lam.*

C. grandiflora Mönch. In Tirolia cisalpina australi et orientali, in regione montana media et superiore.

C. officinalis Mönch. In Tirolia meridionali, passim, in demissis calidis et montanis temperatis.

C. Nepeta Clairv. In Tirolia australiore ad montium pedes.

Obs. Haec et praecedens stirps, quas cl. Smith bene descripsit (fl. Britan. p. 641—3), et denuo Bertoloni in flora italica, odore

aromatis facillime distinguuntur, non ita facile characteribus, minime vero ex nucum forma.⁶³⁾

Clinopodium vulgare L. In montanis et in subalpinis minus frigidis.

Prunella vulgaris L. — *P. grandiflora L.*

P. laciniata L. *P. alba* Pallas Koch. In demissis calidis et montanis temperatis.

Scutellaria galericulata L. Inter Bulsanum et Meranum (calycibus glabris); prope lacus di Piné (calycibus pubescentibus pilis recurvis).

Nepeta Cataria L.

N. nuda L. In monte Baldo; in districtu di Agordo provinciae Bellunensis. Florum color varius ab individuo ad individuum, et diversis annis eodem loco.

Glechoma hederacea L.

Dracocephalum austriacum L. Prope Tschengels in valle Venosta.

Melittis Melissophyllum L.

Lamium Orvala L. Prope Salurn et in caetera Tirolia australiore.

L. amplexicaule L. — *L. purpureum L.*

L. maculatum L. In Tirolia maxime australi et provincia Brixensi est foliis immaculatis; in austro-orientali Carinthiam versus maculatis.

L. album L. *Obs.* Florum verticilli 14- ad summum 16 flori.

Galeobdolon luteum Huds. In montanis et subalpinis.

Leonurus Cardiaca L.

Galeopsis Ladanum L. Varietas latifolia in montanis; varietas angustifolia grandiflora magis in demissis calidis.

G. Tetrahit L. *G. versicolor Curt.* *Obs.* „Hallerus separat, ego conjungo“ Linn. Certe nec multa, nec multum observarunt ii, qui distinguunt; ut non animadverterint quanta negotia facessant innumerabiles formae, quas nescias ad utram referas. Damnanda omnis distinctio confusionem pariens. In dubio vult Hallerus dubia distingui, erant potius accuratius indaganda. Calycis

proportio ad corollam fallax est; est etenim calyx major vel minor manente eadem corollae magnitudine. Ast et labii inferioris pictura plurimum variat; perperam hujus partis colori quidam plurimum tribuunt. Est planta in septentrionalibus regionibus nascens: G. pubescens Besser dicta quam ex pluribus Germaniae locis obtinui. Eadem planta crescit in Tirolia austro-orientali in districtu di Primiero, diversa tamen corollae colore, qui G. versicoloris est.

Stachys germanica L. In ditione Bulsanensi; in Valsugana; in Tirolia australiore rarius.

S. alpina L. — *S. sylvatica L.* — *S. palustris L.*

S. annua L. In valle di Fiemme; in Pustaria; in agro Tridentino; in districtu di Riva; in provincia Bellunensi, rara.

S. recta L. In demissis calidis, et in alpinis.

Betonica officinalis L. In silvaticis procerior, floribus majoribus.

B. hirsuta L. In districtu di Primiero; in Judicariis; in districtu di Fassa, rara.

B. Alopecurus L.

Marrubium vulgare L.

Ballota nigra L.

Teucrium Scorodonia L. In Tirolia italica austro-occidentali in Judicariis prope fines Brixienes.

T. Botrys L.

T. Scordium L. In Valsugana; in ditione Bulsanensi.

T. Chamaedrys L. — *T. montanum L.*

Ajuga reptans L. — *A. genevensis L.*

A. pyramidalis L. In montanis, subalpinis, alpinis. *Obs.* Flores cyanei et albidi ejusdem aetatis in eadem spica, quin et in eodem verticillo non raro reperiuntur; quod etiam in *Viola tricolore* et *Aretia alpina* saepius obtinet; quo monemur non temere statuendas esse varietates ex colore, scientiae inutile pondus.

A. Chamaepitys Schreb.

Verbena officinalis L.

Scrophularia nodosa L.

S. aquatica L. In Tirolia meridionali rarissima e. gr. prope Riva.

S. canina L. In demissis.

S. Hoppii Koch. In montanis et subalpinis.

S. vernalis L. In Tiroliae australioris regione montana media et superiore, parce.

Linaria Cymbalaria Mill. In Tirolia australiore.

L. minor Desf. — *L. alpina Mill.*

L. italica. Antirrhinum Bauhini Gaud. In valle Athesina media; in valle Venosta, solo granitico. *Obs.* Xerographis dubia species. Viva distinguitur a *L. vulgari* foliis firmis carnosis supra planis, aliisque notis; *Linariae vulgaris* folia flaccida supra sulco longitudinali percursa.

L. vulgaris Mill.

Antirrhinum majus L. In muris et rupibus prope Roboretum, quasi sponte.

A. Orontium L. In demissis calidioribus.

Digitalis grandiflora Lam. — *D. lutea L.*

Limosella aquatica L. In valle Venosta media, rarissima.

Euphrasia officinalis L. E. minima Schl. E. salisburgensis Funk. E. minima parvitate partium, nec corollae colore ab E. officinali vulgari distincta, quum frequentissima sit ejusdem coloris ac forma major. At „plus et minus non mutat speciem“, prae-sertim cum sit per gradus continuos. Notae ex forma corollae petitae micrologiae nimis sunt et pariter per gradus in formas maiores evanescentes. E. salisburgensis potest pro distincta specie haberi tantum ignoratis formis intermediis transitum et connexum ostendentibus.

E. tricuspidata L. In demissis montanis et subalpinis Tiroliae australioris, solo calcareo. *Obs.* Cum formae inter hanc et officinalem intermediae ambiguae non reperiantur, in unam speciem conjungi non debet. Individuorum atrophicorum E. officinalis, quae ut formae intermediae spectari possent, ratio habenda non est.

Euphrasia Odontites Lam. In Tirolia meridionali vulgaris.
Obs. Planta Tirolensis simillima est plantae, quam nomine: E. serotinae obtinui ex Dalmatia et agro Tergestino, cui Columnae icon. bene correspondet, at crescit in palustribus et agris humidis.

E. lutea L. In demissis calidioribus.

Bartsia alpina L.

Pedicularis Jacquinii Koch. In montanis et alpinis vulgaris. Videtur solo calcareo propria, cum in alpibus graniticis tantum locis ubi saxum calcareum emergit in conspectum venit. Cum sequenti ab iis solum confundi potest, qui utriusque pauca specimina viderunt. Variat floribus carneis et albidis.

P. rostrata L. (pro parte). In alpibus graniticis, praecedente rarer.

P. asplenifolia Floerke. In Tirolia cisalpina euro-boreali in declivitate meridionali catenae alpium a monte Brenner ad Carinthiam, solo granitico.⁶⁴⁾

P. fasciculata Bellardi. In Tirolia austro-orientali in districtu di Primiero et proximis montibus di Tesino, in regione montana ad culturae terminum, in subalpinis et alpinis, solo calcareo.

P. tuberosa L. Omnium vulgatissima. Non rarum est reperire corollis monstrose mutilatis.

P. palustris L.

P. comosa L. In monte Baldo veronensi (in parte Tirolensi loca ejus indoli satis apta non videntur esse).⁶⁵⁾

P. foliosa L. In monte Brenner; in monte Bufaure districtus di Fassa; in alpe sette selle in Valsugana, solo granitico.

P. recutita L. Ad montem Glockner (corollis obscure purpureis); in Tirolia cisalpina orientali, media, et occidentali corollis ex purpureo-flavescensibus.

P. rosea Wulf. In alpibus calcareis Tiroliae austro-orientalis.

P. versicolor Wahlenberg. In monte Brenner, solo calcareo, vel mixto ex calcareo et granitico. Corollae labium superius saturate purpureum.

Pedicularis acaulis Scop. In Tirolia cisalpina austro-occidental, locis silvaticis umbrosis; in Judicariis, in valle di Vescino, rara.

P. verticillata L.

Rhinanthus minor Ehrh.

R. major Ehrh. Mertens et Koch. *R. major* et *Alectorolophus* Koch syn. *Obs.* Formae calycibus laevissime pubescentibus et villosis forma seminum non differunt, et per formas intermedias quoad copiam pubis in calyce conjunguntur.

R. angustifolius Gmel. *Rhinanthus angustifolia* Gmelin (flora badensis Vol. II. p. 669 edita 1806). *Rhin. alpinus* Baumgarten (1816). Utraque forma satis frequens; in montanis silvaticis, caule elatiore ramoso, foliis angustioribus; in subalpinis et alpinis, locis aridis et palustribus, caule simplici, foliis latioribus. Per formas intermedias continua progressionem junguntur.

Melampyrum cristatum L. — *M. arvense* L.

M. nemorosum L. — *M. pratense* L.

M. sylvaticum L. Bracteae saepe basi dentatae.

Tozzia alpina L. In Tirolia austro-occidentali alpe di valle di Breguzzo in Judicariis solo granitico; in austro-orientali in alpe Lagorai districtus di Fiemme, solo granitico porphyrio.⁶⁶⁾

Orobanche. *Obs.* Fecundum et utile studium hujus generis tum demum institui poterit, cum, deletis tribus tertiiis saltem partibus specierum, quae, maxima ex parte ad sicca specimina exstructae fuerunt, formae variae in Natura vivente sedulo indagatae fuerint. De hoc genere idem eveniet quod de Rosis; post plurimas propositas species paucae dignae reperientur, quae adoptentur. Ubi in genere quodam formas variabiles exhibente unice species nec varietates statuuntur, ejus studium in incunabulis est. Variare partes quasdam, ex quibus distinctionis notae depromebantur, in confesso est; ast et variare alias, ex quibus notae tamquam certae desumuntur, aequo indubitatum est, exemplo calycis in *O. Epithymum* (conf. Reichenb. icon. erit. Nr. 889). Nonne aliqua analogia est inter Orobancharum genus et Aconitorum? Quod ad plantas spectat, quibus Orobanches innascuntur,

observationes genuinae admodum rarae prostant, cum ob botanicorum segnitiem tum ob rei difficultatem. Difficillimum enim persaepe negotium est plantas utrasque absque abruptione eruere, ob intricatas aliarum stirpium radices, quae undecumque per-
reptant, nec non ob longitudinem radicis plantae nutrientis, praesertim si fruticosa. Nec his solum difficultibus premimur ad accuratiorem harum plantarum notitiam nobis comparandam, sed et de vitae duratione pauca hucusque constant. Notis, quibus ad distinctionem vulgo utimur, videtur addi posse et distantia antherarum inferiorum et superiorum ab invicem.

Orobanche cruenta Bertol. In demissis, montanis, subalpinis ad leguminosas herbaceas et fruticosas, frequens. — Forma bracteis et calycibus incano-tomentosis, et hirsutis, in Tirolia austro-occidentali. 67)

O. Epithymum DC. In demissis, montanis, subalpinis.

O. Galii Duby. In demissis et montanis.

O. rubens Wallr. In demissis et montanis.

O. Berberidis. Orobanche lucorum Br. Ad radicem Berberidis in demissis et montanis, Berberidis comes, vulgatioribus. Nomen O. lucorum non satis aptum, cum non amoenis locis, sed sil-
vaticis senticosis crescat. Nomina minus apta juxta artis leges mutanda, si eorum usus non invaluit. Esse plantam perennem compertum habeo.

O. minor Sutton. In demissis calidioribus, infrequens. Exemplar radici Hederae innatum cl. Kochio miseram, cui nomen „Orobanche cerina“ imposuit. Postea satis frequenter crescentem plantam istam ad Hederae Helicis radices in ditione Bulsanensi inveni, quam cum O. minore conjungo.

O. amethystea Thuill. (amethystina). In Tirolia australiore et austro-occidentali, in ditione Roboretana; in Judicariensium valle media, et meridionali usque ad fines Brixenses, ad radices leguminosorum. In Judicariis Eryngia non crescunt. Exemplaria vidi cl. Koch, et diagnosin confirmavit.

O. caerulea Vill. In Tirolia calidiore, et temperata, rario-

O. arenaria Borkh. Iisdem fere locis et paulo frequentior.

Orobanche ramosa L. Ad radices Nicotianae in ditione Roboretana.—*Obs.* Aliam plantam, exemplari unico, repertam, cl. Kochio misi, qui nominavit: *Orobanche inflata*. Hanc interim sepono. Aliam iterum reperi in Valsugana prope Grigno ad radices Cirsii palustris hornotini h. e. primo anno nascentis. Flores habet O. pallidiflorae, quas cl. Kochius benevole misit. Plantam esse annuam, nec perennem, ut clari auctores florae silesiae autumnant (conf. Fl. Siles. II. p. 234) vel inde luculentissime patet, quod ad radices Cirsii palustris primi anni tantum, nec secundi caules edentes, nec dicto loco ad alias plantas proveniat. — Aliam demum inveni in Valsugana in prato herboso, quin mihi contigisset cum radice plantae alentis erutam obtinere. Praeter alias notas, quibus a caeteris Orobanchis tirolensis differre videtur, antheras superiores ostendebat ab inferioribus valde distantes. Ast oportet Orobanches specierum numerum primum minuere, dein cum notae certae et constantes firmatae fuerint, novas bene constitutas proponere.

Lathraea Squamaria L. In Valsugana prope Borgo; prope Bulsanum, rara.

Linnaea borealis L. In sylvis acerosis in valle Venosta; in valle Tellina supra St. Cattarina, in montium plaga septentrionali, solo granitico. ⁶⁸⁾

XV. Cl. Tetrodynamia.

Bunias Erucago L. In agris Tiroliae maxime australis finitimaeque provinciae Veronensis.

Neslia paniculata Desv.

Rapistrum rugosum All. In Tirolia australiore. Siliculae glabrae vel pubescentes.

Raphanus Raphanistrum L. In Tirolia meridionali frigidiore.

Biscutella laevigata L.

Lunaria rediviva L. In Tirolia australiore supra Ala; in Valsugana supra Pontarso, rara.

Farsetia incana R. Br. In Tirolia cisalpina media, orientali et septentrionali.

F. clypeata R. Br. Alle Laste prope Tridentum, rarissima. In Tirolia primum reperta a cl. Sartorelli, loco ignoto. ⁶⁹⁾

Alyssum calycinum L.

A. Wulfenianum Bernh. In alpe calcarea Vette di Feltre in ditione Feltriensi prope fines Tirolenses. Botanicorum primus, cui haec stirps innotuit, fuit Zannichellius, qui protulit his verbis „Jonthlaspi luteo flore, incanum, montanum, Dioscoridis. Column. part. I. 280. In glareis Vettarum“ (Zannichell. op. posthumum p. 58). *Obs.* Synonymon Columnae et icon excludenda; folia enim, et siliculae plantae Columnae non respondent. Planta nostra est qualis a cl. Reichenbachio pingitur in Icon fl. germ. Nr. 4273, petalis tamen latioribus, ut in allata Columnae icon. Siliculae vero ad ultimam usque senectutem pubem servant, raro exuentes.

Petrocallis pyrenaica R. Br. In alpibus calcareis Tiroliae austro-orientalis, finitimaeque Italiae.

Draba aizoides L.

D. Zahlbruckneri Host. In alpe calcareo: Contrin in Fassa; ad montem Glockner in ditione Tirolensi et Carinthiaca, solo mixto. *Obs.* Non est forma *D. aizoides* ex loco alpino edito et frigido, cum in alpe Contrin una cum *D. aizoide* crescat, quin formae intermediae intercurrant, quin et 2000 pedum depressius, proveniat quam *D. aizoides*.

D. Sauteri Hop. In alpe calcareo Boa in valle di Badia.

D. tomentosa Wahlenb. In alpibus frigidioribus, rarissima.

D. frigida Saut. Iisdem locis multo frequentior.

D. Traunsteineri Hop. In monte calcareo Bondon Tridentinorum. *Obs.* De specie (vel si mavis varietate) genuina Traunsteineriana dubium esse nequit, cum ipse cl. Kochius exemplaria mea ex dicto loco determinaverit. Verum pro specie aut pro prole hybrida haberi nequit, cum parentes desint.

D. Joannis Host. In Tirolia meridionali frigidiore, passim.

D. Wahlenbergii Hartm. Koch. *D. dicta laponica* in districtu di Fassa; ad montem Glockner proximisque alpibus. *D.*

laevigata ad montem Glockner. D. fladnitzensis iisdem ac praecedens alpibus; in Valsugana.

Draba incana L. D. confusa Ehrh. D. Thomasii Koch.
Obs. Drabae confusae nova confusio addita nomine novo. Statura est unciali et pedali, caule a basi, a medio, superne ramoso vel simplici, foliis caulinis lanceolatis, ovatis vel lato-ovatis, siliculis magis vel minus contortis, pubescentibus. In Tirolia austro-orientali, in alpinis, subalpinis, montanis, interdum infra supremum culturae terminum e. gr. in Gardena. Reperta unico loco radice trienni et quadrienni.

D. verna L. In Tirolia meridionali vulgaris. In provincia Brixensi ad lacum Benacum siliculis subrotundis.

Cochlearia saxatilis Lam.

C. brevicaulis Facch. Rhizobotrya alpina Tausch. In regione alpina inferiore et media in districtu di Primiero, di Fassa, di Fiemme; Karneid, solo calcareo, rara, cum semina quamvis matura, Orchidearum quarundam more, raro germinent. — Flos hemisphaericus calycis foliolis, petalis, et staminibus adscendentibus, aequaliter curvatis. Caulis totus a radice foliatus. Hinc nomen tam genericum, quam specificum erat mutandum, cum plantae non responderet, quin potius ejus naturae et partium formae contradiceret. Ideo prius inditum ut incongruum rejicere coacti fuimus. Revera quid ineptius quam plantae caule toto foliato nomen indere significans racemum e radice prodeuntem? Restitutionem prioris nominis relinquimus iis, quibus barbara et inepta placent, securi praecepta, quae tradidit Cl. Marschall a Bieberstein (flora taur. caue. Vol. III. p. 194—5.

Thaspi arvense L. — *T. perfoliatum* L.

T. alpestre L. In montanis Tiroliae australioris. *Obs.* Planta biennis est, rarissime triennis, caule anni praeteriti emarcido una cum caule novo praesente; aut etiam in hoc casu biennis, si mature germinans caulem eodem anno edat.

T. alpinum Jacq. T. praecox Wulf. In Tirolia austro-orientali finitimisque ditionibus Feltriensi et Bassanensi; *T. alpinum*

in alpibus; *T. praecox* paulo supra vitis regionem prope Tezze. *Hutchinsia stylosa* DC. ex loco: Vette di Feltre (syst. nat. II. 387).

Thaspi rotundifolium Gaud. In alpibus regionum frigidiorum.

Capsella bursa pastoris L.

C. (Lepidium) procumbens L. *Capsella pauciflora* Koch.

Obs. Pauciflora haec planta non amplius dici potest, cum floribus in racemo saepe gaudeat ad viginti usque una simul cum individuis in eodem caespite racemis 1—2floris. Habitat „salebrosi in fornice saxi“, sub tegmine petrarum vel rupium superne prominentium. Locis frigidis est qualis a cl. Reichenbachio et Sturmio pinguitur (Icon fl. germ. Nr. 4221 b.) foliis integris, floribus paniculatis paucis, siliculis brevibus latis. Locis minus frigidis habitus idem, ast flores plures magis in racemi formam dispositi, folia lyrata utrinque 1—2dentata, fere qualia in Wallrothii Sched. tab. III. pinguntur. Racemi non raro longitudinem 4—5 unciarum in planta 6—8 unciali assequuntur, siliculis oblongis. Simulac vero plantae ex rupium stillicidio exeunt, quod rarissime observare contigit, videlicet in Stilfserjoch ad heiligen 3 Brunnen, et prope Franzenshöhe tamquam si ab imbris laederentur, tunc florum dispositio fit exacte racemosa, racemis elongatis oblongo-linearibus, pedicellis scilicet brevibus, siliculae longitudinem vix superantibus. — In Tirolia cisalpina orientali, austro-orientali, austro-occidentali, et occidentali, in districtibus Karneid, Enneberg, Livinallongo, Fassa, Fiemme, Primiero; in valle di Vestino cum *Saxifraga arachnoidea*; in Judicariis, in valle Venosta ad heiligen 3 Brunnen et Franzenshöhe, a regione Vitis ad regionem alpinam inferiorem et medium, solo calcareo. Nascitur et floret a primo vere (ver alpium serius adventat) ad serum autumnum, more *C. bursae pastoris*.⁷⁰⁾

Camelina sativa Crantz.

C. dentata Pers. Quae non videtur bona species.

Hutchinsia alpina R. Br. H. brevicaulis Hop. Posterior forma magis in alpibus frigidioribus graniticis e. gr. in Pustaria orientali et Carinthia superiore circa montem Glockner.

Hutchinsia petraea R. Br. In valle Athesina.

Lepidium Draba L. Prope Neumarkt in valle Athesina, rarissimum.

L. campestre R. Br. In demissis, montanis temperatis, rarum.

L. ruderale L. In ditione Bulsanensi et Tridentina; in valle Venosta media, rarum.

L. graminifolium L. Prope Bulsanum; in provincia Brixensi ad lacum Benacum. Alle Laste prope Tridentum, ubi a Matthiolo indicatur, evanuit.

Aethionema saxatile R. Br.

Isatis tinctoria L. In sepibus et inter vepres prope Layen in districtu Clausen. Videtur ex horto emigrans.

Nasturtium officinale R. Br. — *N. amphybium R. Br.*

N. anceps Reichenb. — *N. sylvestre R. Br.*

N. palustre DC.

Matthiola varia DC. Caulis triuncialis et sesquipedalis. Petalorum lamina lato obovata. Corolla ex violaceo dilute purpurea. Colorem languide amoenum dilutissime violaceum cum aliqua purpura Cheiranthi incani L. Sordidum dixerunt Xerographi.

Barbarea vulgaris R. Br. B. arcuata Rchb. B. stricta Anderz. *Obs.* Omnes hae bona distinctaeque species visae sunt fugientibus investigationem formarum intermediarum, quas, cum extremis typum scriptoribus praebentibus, quacumque aetate plantae, observasse oportuit. Forma siliquis magis patulis frequentius in Tirolia australi media, siliquis adpressis in Tirolia australiore.

Turritis glabra L.

Arabis brassiciformis Wallr. In Tiroliae australioris montanis, solo calcareo.

A. alpina L.

A. saxatilis All. In Tirolia australi, passim, solo calcareo et granitico.

A. hirsuta Scop. A. Allionii DC. A. conferta W. A. planisiliqua Pers. A. sagittata auctorum. A. glastifolia Rchb. A. Gerardi Bess. A. longisiliqua Wallr. cum aliis pluribus, quas praxis ostendere poterit. Qui distinctionis notas inter has formas

praecisas dare poterit, quin inter eas formas intermedias copiosas exhibere potuerimus connexum commonstrantes „hic mihi magnus erit Apollo“. Forma insignis crescit in silvaticis montanis et subalpinis districtus di Fassa et Fiemme, plaga meridionali, caulis pedalibus et bipedalibus, foliis caulinis inferioribus et mediis ovatis, lato-ovatis, et subrotundo-ovatis, ad quam formam accedunt Reichenbachii I cones Nr. 4344 et 4343 b.

Arabis ciliata R. Br. In alpinis, subalpinis et montanis in regione culturae.

A. muralis Bertol. Ad rupes prope Cadin, in valle Athesina, rarissima.

A. Halleri L. In Tirolia australiore, praesertim in Judicariis.

A. Turrita L. — *A. pumila Jacq.*

A. bellidifolia Jacq. — *A. caerulea L.*

Cardamine asarifolia L. In subalpinis provinciae Brixensis prope fines Tirolenses, unde in usum medicum in proximas convalles Judicariensium translata laete viget. Sponte crescit in Judicariensium ditione in alpe la Bergamasca. Provenit solo granitico ad scaturigines et rivulos more *C. amarae*.

C. alpina W. In alpibus solo granitico et rarius solo calcareo.

C. resedifolia L. Crescit solo granitico.

C. impatiens L. Flores non raro petalis instructi.

C. hirsuta L. Obs. *C. sylvatica* Link est forma in umbrosis nascens nullis notis certis distincta.

C. pratensis L. In Tirolia cisalpina septentrionali prope Sterzing abunde; media et austro-orientali in alpium regione media; in monte Schleern; in alpe sette selle in Valsugana.

C. amara L.

C. trifolia L. In Valsugana australi ad fines Bassanenses.

Dentaria enneaphyllos L. Obs. Occurrit inter formam vulgarem foliis alternis, quae a Reichenbachii figura Nr. 4313 D. trifoliae unice foliolis acutioribus differt. ⁷¹⁾

D. pentaphyllum L. *D. digitata Lam.* *D. pinnata Lam.*

Obs. Linnaeus semper summus sensit plantam foliis quinis et

septenis non esse distinctas species. Neoterici subtilitatibus nimium quam par est indulgentes, distinxerunt, parum curiosi an formae intermediae dentur, quae conjungant, ut reapse reperiuntur, e. gr. in valle Lanchiada Judicariensium. Haec forma intermedia est foliolis quinis, duobus exterioribus parum remotis; foliis quinis digitatis laterali sexto auctis; foliis quinatis ad basim auricula utrinque auctis etc. etc. ⁷²⁾ Varietas foliis quinatis in Tirolia australiore, foliis pinnatis in valle di Vestino. Prior variat foliis subtus glaucescentibus et caesio-glaucis; posteriori folia in meis speciminibus subtus caesio glauca.

Dentaria bulbifera L. In monte Baldo; in Vallarsa ditionis Roboretanae.

Sisymbrium officinale Scop.

S. Columnae L. Prope Bulsanum.

S. pannonicum Jacq. Prope Laas in valle Venosta, rarissimum.

S. Sophia L. In montanis et subalpinis.

S. strictissimum L. In Tirolia cisalpina occidentali, in valle di Sole; in valle Venosta; in media prope Tiers; in orientali prope Windischmatrei, solo granitico.

S. Alliaria Scop. — *S. Thalianum* Gaud.

Erysimum cheiranthoides L. In Valsugana australi.

E. Cheiranthus Pers. *E. rhaeticum* DC. *E. helveticum* DC. *E. pumilum* Gaud. *E. lanceolatum* DC. *Obs.* Differentia caulis simplicis vel ramosi constans non est, qua propter nota specifica distinctiva characteristicā inde depremi nequit. Reperiuntur enim in regione montana supra vitis terminum individua ramosa, ramulis sterilibus, vel fasciculis foliorum, vel folio unico parvo (ramorum rudimentis) in axillis foliorum caulinorum plurium vel paucorum vel unici, promiscue cum individuis foliorum axillis nudis. Quidquid etiam una radice caules reperiuntur ramulis in axillis foliorum praediti alii, alii iis destituti. Nec mirum caulem esse simplicem prope glacies perennes, ramosos in consortio Oleae et Lauri. Praecepta his contraria secutus quis posset

e. gr. specimina Gentianae ciliatae in binos acervos separans sibi binas conficere species, hinc caulibus simplicibus, hinc ramosis. Stylus variat longitudine, brevissimus, brevis, et mediocris, vel siliqua transversa duplo longior, e. gr. in valle Venosta, ut etiam prope Heiligenblut Carinthiae. Advertendum siliquas non ubique locorum eandem adipiscere latitudinem, ut anceps sit styli longitudinem mensurari siliuae latitudine. A planicie Insubriae ad summas alpes, fere 2000 pedum supra inferiorem limitem glaciei perennis.

Braya alpina Hop. In alpe Palberg Paroeciae Kals in Tirolia austro-orientali. Petala ex purpureo dilutissime violacea, ungue saturatiore; alba uti a Sturmio et Reichenbachio pinguntur, non erant. Solum erat calcareum ubi crescebat, saxo calcareo inter rupe micaceas emergente.

Brassica campestris L. In Tiroliae meridionalis districtibus plerisque. Planta exquisite annua, in agris Zea Mays satis quotannis tertia et quarta satione sponte proveniens: ante Zeae sationem, ante sarritionem et post, et interdum sero autumno post Zeae messem. Facillime distinguitur radicis forma ab individuis B. Rapae, quae rusticus ob vilitatem despiciens autumno non colligit, per hyemem manentibus et sequente vere quam maturrime florentibus. Caeterum planta quaecumque sponte nascens non per culturam dijudicatur sed contrario. *Obs.* Unde, et a quo cl. Kochius Sinapin (Brassicam) nigram ex Tirolia australi habuerit, ego quidem nescio.

Sinapis arvensis L.

Erucastrum obtusangulum Rchb. Ad lacum Benacum in ditione Tirolensi et Brixensi.

Diplotaxis tenuifolia DC.

XVI. Cl. Monadelphia.

Erodium cicutarium L' Her.

E. malacoides W. In ditione Brixensi ad lacum Benacum.

Geranium macrorrhizon L. In alpe sette selle in Valsugana solo granitico.

G. phaeum L. Flores pallide violacei.

G. nodosum L. In Judicariis prope Lodron ad fines Brixenses.

G. sylvaticum L.

G. pratense L. In monte Ritten Bulsanensium, rarum; prope Sterzing frequens.

G. palustre L. In monte Ritten; in Pustaria vulgare.

G. sanguineum L.

G. argenteum L. In cacuminibus montium calcareorum Tiroliae australioris, altitudine regionis alpinae inferioris.

G. pyrenaicum L. In Tirolia meridionali passim.

G. Bohemicum L. In districtu Karneid, unico loco, ubi sabuli eruendi causa terra recenter emota.

G. dissectum L. In agris in districtu di Ampezzo Tiroliae austro-orientalis.

G. pusillum L. — *G. columbinum L.*

G. rotundifolium L. — *G. molle L.*

G. divaricatum L. In valle Venosta media, rarissimum; inter Sigmundscron et S. Pauls ditionis Bulsanensis, exemplar unicum.

G. Robertianum L.

Althaea officinalis L. In ditione Bulsanensi.

A. cannabina L. In provincia Brixensi, prope Gargnano.

Malva Alcea L. — *M. sylvestris L.*

M. rotundifolia L.

Hibiscus Trionum L. In vineis e. gr. prope Valfloriana in districtu di Fiemme.

Corydalis cava Schweigg. In montanis et subalpinis; in Valsugana.

C. fabacea Pers. In Valsugana, solo granitico.

Corydalis solida Sm. In Tiroliae meridionalis calidis et temperatis passim.

C. lutea L. In Tiroliae australioris regione montana media et inferiore, ad montium pedes, solo calcareo.

C. Gebleri Ledeb. *C. capnooides* Koch (non Linnaei). In Tirolia cisalpina euro-boreali, in valle Teferecken superiore Pustariae septentrionalis ad supremam culturae regionem, locis pinguibus, solo granitico-schistoso; in districtu di Livinallongo, regione culturae penultima, solo granitico-trappico (*C. ochroleuca* Koch Taschenb. p. 23). *Obs.* Nota insignis et characteristica est: caulis cum ramis acute pentagonus.

Fumaria officinalis L.

F. Vaillantii Lois. Corolla saepe albida apice purpureo.

Polygala nicaeensis Riss. In Tirolia italica austro-occidentali finitimaque provincia Brixiensi, in valle di Vestino; ad lacum Benacum. *Obs.* Ab homonyma planta litorali non differt, tamen nil aliud esse videtur quam *P. vulgaris* forma floribus majoribus.

P. vulgaris L. *P. comosa* Schrk. *P. depressa* Wenderoth.

Obs. Hae formae, distinctae quidem sunt ab invicem, si formae intermediae conjungentes negliguntur. Crescant in Tirolia meridionali passim; *P. depressa* in Valsugana.

P. amara L. Amara non est.

XVII. Cl. Diadelphia.

Ononis spinosa L.

O. hyrcina Jacq. In Tirolia meridionali, in demissis calidis, et montanis temperatis, vulgaris.

O. Columnae L. In Tirolia meridionali calidiore, infrequens (*O. minutissima* Pollini fl. veron.).

O. Natrix Lam. In montanis calidioribus et temperatis.

O. rotundifolia L. In valle Venosta; ad collem Doss Trento prope Tridentum, prope Predazzo in districtu di Fiemme (ex hoc loco erat planta apud Pollin. Fl. veronens. II. 475).

Spartium junceum L. In districtu di Riva ad lacum Benacum; prope Nago.

Sarothamnus scoparius Wimm. Supra Lodron in Judicariis ad fines Brixienes.

Genista tinctoria L. *Obs.* Forma foliis latioribus est G. ovata quibusdam e. gr. Pollinio (Fl. veron. II. 457 in collibus Tridentinis). *Obs.* Cl. Kochius de sua G. elatiore verba faciens quaerit an G. mantica Pollinii sit eadem planta. At Pollinius suae plantae disertis verbis legumina „villoso-sericea“ praedicat.

G. germanica L.

Cytisus Laburnum L. In demissis Tiroliae italicae austriioris, rario.

C. alpinus Mill. In Tirolia cisalpina media et australi. Ad hunc nec ad C. Laburnum referendum Synonymon Matthioli (conf. Gaud fl. helv. IV. 459).

C. nigricans L.

C. sessilifolius L. In Tiroli italicica calidore, solo calcareo. ⁷³⁾

C. hirsutus L. C. prostratus Scop. C. prostratus Koch (forma C. hirsuti casu varians). In demissis calidis, montanis, subalpinis, alpinis Tiroliae meridionalis, finitimaeque Italiae septentrionalis. *Obs.* Caules in apricis prostrati, in sylvaticis oblique erecti 3—4 pedales, in alpibus digitales. Si flores in summitate caulis et ramorum tantum fert, est quibusdam C. capitatus Jacq. (saltem quoad plantam tirolensem). C. prostratus Scop. juxta descriptionem in Fl. carn. II. 70 datam ne minimum quidem differt; at differt homonyma planta Kochiana, quae forma est C. hirsuti casu orta flores ferens in ramis ejusdem anni, quod rarissime obtinet. C. bisflorens Host.

C. purpureus L. In demissis calidis, et montanis temperatis, ut videtur solo calcareo proprius. ⁷⁴⁾

C. radiatus Koch.

C. argenteus L. In Tirolia australiore finitimisque provinciis Veronensi et Brixieni.

Anthyllis Vulneraria L.

A. montana L. In monte Maranza Tridentinorum.

Medicago sativa L. — *M. falcata L.*

M. lupulina L. Variat leguminibus maturis viridibus, et atris.

M. orbicularis All. In collibus alle Laste prope Tridentum.

M. Gerardi W. K. In agro Tridentino.

M. minima Lam. Varietas viscida in districtu di Arco.

Trigonella monspeliaca L. Prope Schlanders in valle Venostra, ad vitis terminum.⁷⁵⁾

Melilotus macrorrhiza Pers. Koch. In ditione Bulsanensi; in districtu di Stenico, rarissima.

M. dentata Pers. In valle Anania, rarissima.

M. officinalis Desr. — *M. alba Desr.*

Trifolium pratense L. Obs. Variat florum colore, qui si albidus est, Micrologis est varietas T. pratense nivale, a cl. Frölichio in Reichenbacchii fl. exc. Nr. 3164, pro T. norico edita; quod cl. Koch dein mira constantia, in suis libris ad annum 1844 usque repetiit. At cl. Frölichius a Predazzo Bulsanum versus per montem Feudo iter faciens, cum a semita non aberrasset, nullam aliam plantam, quam T. noricum vocare potuisse, reperire potuit, quam T. pratense.

T. medium L. — *T. alpestre L.* — *T. rubens L.*

T. ochroleucum L. Ceteris rarius.

T. incarnatum L. In Valsugana, in pratis siccis.

T. arvense L. — *T. fragiferum L.*

T. scabrum L. In districtibus di Arco, Riva, locis aridisimis, solo calcareo.⁷⁶⁾

T. striatum L. In Valsugana; prope Bulsanum septentrionem versus, solo granitico.

T. alpinum L. In Tirolia cisalpina media a supra regione culturae ad alpes, passim, solo granitico; in australi solo calcareo rarissimum.

T. montanum L. — *T. repens L.*

T. pallescens Schreb. In Tirolia cisalpina media, et orientali, et finitima Carinthia ad montem Glockner, solo granitico, rarissime calcareo.

Trifolium caespitosum Reyn. In Tirolia australiore, a finibus Brixiensibus ad Bellunenses, solo calcareo.

T. hybridum L. In pratis paludosis ditionis Bulsanensis.

T. badium Schreb. — *T. agrarium L.*

T. procumbens L. *Obs.* T. patens Schreb. ut planta Tiroliae indigena mihi dubia, quod etiam tamquam distincta species videtur dubium, nam varians deprehenditur.⁷⁷⁾

Dorycnium pentaphyllum Scop. D. suffruticosum Vill. D. herbaceum Vill. *Obs.* Notis contradictoriis distinguuntur a scriptoribus variae formae ut species; ita distinctio facta est confusio. Nec rarum est quoad florum numerum in capitulis utramque speciem ex una radice observare.⁷⁸⁾

Lotus corniculatus L. Variat pube, et numero florum in capitulis, pauciflorus in alpibus. Forma foliis angustioribus in pratis paludosis prope Bulsanum. *Lotus tenuifolius Koch Taschenb.* differt a Loto corniculato nomine non re. Corollae alae, quae in annotatione dicuntur L. corniculati angustiores, describuntur latiores.

Tetragonolobus siliquosus Roth.

Bonjeanea hirsuta Rchb. In valle Anania; in valle Athesina prope Tramin et Margreit.

Galega officinalis L. In demissis calidioribus, in primis in ditione Bulsanensi.

Colutea arborescens L. In demissis calidis, et in montanis temperatis.

Phaca frigida L. In Tirolia cisalpina orientali in Vette di Feltre, solo calcareo; in euro-boreali ad montem Glockner, solo ex granitico et calcareo mixto.

P. alpina Jacq. In Tirolia austro-orientali frigidore; in montanis, subalpinis, alpinis; in contermina ditione Bellunensi rario.

P. australis L. In subalpinis et alpinis infrequens.

Oxytropis uralensis DC. In Tirolia cisalpina occidentali, orientali, et euro-boreali, in demissis temperatis, montanis, subalpinis, alpinis, solo granitico.

Oxytropis campestris DC.

O. cyanea Marsch. *O. triflora* Hop. In subalpinis et alpinis Tiroliae cisalpinae septentrionalis, in alpibus vallis Pfitsch versus septentrionem, et versus montem Brenner; vallis Pfunders, Lappach, Taufers; in valle Pfitsch etiam infra culturae terminum loco umbroso, solo calcareo vel cum granitico mixto. - Racemi biflori et per gradum decem - et subduodecimflori. Corollae vexillum carina fere duplo longius et vexillo *O. campestris* angustior. Corolla albida, ex albo livida, et plumbea, carneaa, rosea, ex roseo-purpurea et purpurea, ex carneo et roseo laeviter violacea. Legumina semibilocularia. *Obs.* Quae cl. Kochius de *O. campestri*, *cyanea*, et *triflora* in suis scriptis sibi habet peculiaria possumus transire. Ipse enim in pluribus gravioris momenti observatoribus contradicit. Cl. Hoppe legumina *O. triflorae* dicit bilocularia („zweifächerig“) et cl. Gaudin *O. cyaneae* semibilocularia, et *O. campestri* sordidae vexillum petalis fere duplo longius (conf. Sturm Heft 49, Gaud. fl. helv. IV. 536 VI. 360). *Obs.* Planta quam ex valle Nicolai Helvetiae nomine *O. cyaneae* accepi, est nostra statura minor, pauciflora, racemis 2—6flori. ⁷⁹⁾

O. pilosa DC.

O. montana DC. In alpinis, subalpinis, et montanis in reione superiore culturae. Flores rarius albidi (conf. Vitman summa IV. 306).

Astragalus purpureus Lam. In montanis temperatis (an in alpinis?) Tiroliae austro-orientalis et provinciae Bellunensis, prope Predazzo versus Bellamonte in districtu di Fiemme; prope Pieve in districtu di Livinallongo, utroque loco paulo supra regionem Zeae Mays cultae; prope Zenzenighe et prope Agordo in districtu di Agordo, ad supremum vitis terminum. Hanc speciem obtinui ex Hetruria nomine A. Leontini. Hic vero post cl. Wulf. prope Lienz (Leontum) a nemine reperiri potuit. ⁸⁰⁾

A. Onobrychis L. — A. alpinus L.

Astragalus vesicarius L. In aridis apricis in valle Venosta.

Obs. Cl. Pollini in valle Sugana reperisse non potuit, cum numero quam adiisset. Flores ex albido flavescentes.

A. Cicer L. — *A. glyciphyllus L.*

A. depressus L. In montanis, subalpinis, et regione alpina inferiore Tiroliae austro-orientalis, in districtu di Fassa; di Livinallongo; di Primiero et contermina provincia Bellunensi, solo calcareo.

A. exscapus L. In aridis apricis in valle Venosta, rario.

A. monspessulanus L. In Tirolia italica occidentali, austro-occidentali, finitimaque provincia Brixensi, in valle Anania inferiore (supra la Rocchetta); in districtu di Stenico; in valle di Vestino proximisque montibus lacui Benaco incumbentibus. — Legumina sutura seminifera arcuato-concava incurva. A incani Wulf. legumina sutura seminifera arcuato-convexa apice extrorsum curvata. Haec est nota primaria et essentialis differentiae inter utramque speciem. Directio leguminum contraria pendet a contrario eorum curvatura, nec inde quod in altera pedunculus torqueatur. Ceterum legumen A. monspessulanii semina numero plura fert quam A. incani, cum longius sit, et semina aequalis fere magnitudinis sint et distantiae.

Cicer arietinum L. In ditione Tridentina et Roboretana, ubi colitur, in arvis quasi sponte.

Errum hirsutum L.

E. tetraspermum L. In ditione Bulsanensi; in Pustaria media rarissimum.

Vicia pisiformis L. Supra la Zambana in ditione Tridentina; prope Bulsanum, rarissima.

V. sylvatica L.

V. cassubica L. In ditione Bulsanensi et in districtu Karneid.

V. dumetorum L. In Tirolia australiore, rario.

V. Cracca L. Parce pilosa, pilosa, pilosior, villosa, pilis adpressis vel patentibus. *Obs.* Ex Illyrico obtinui formam foliis pilis adpressis et leguminum pedicellis (stipitibus), calycis tubo longioribus. Variat floribus albis.

Vicia villosa glabrescens Koch. — *V. sepium* L.

V. sativa L. *V. cordata* Wulf. *V. angustifolia* Roth et scriptorum. Legumina matura cinereo-fusca, fusca, vel atra, brevissime pubescentia, parce pubescentia et glabra. Ex foliorum forma possunt distingui species in herbariis, cum specimina prostent singularia, non in rerum natura.

V. lathyroides L. In ditione Bulsanensi et in proxima valle Athesina.

Lathyrus Aphaca L.

L. sphaericus Retz. In valle Athesina. Pedunculi petiolo breviores, et non raro longiores basi vel medio, vel supra medium articulati et aristati, arista brevi vel longiore; haec omnia saepe in eodem caule.

L. setifolius L. In Tirolia italica austro-occidentali.

L. hirsutus L. Prope Salurn in valle Athesina.

L. pratensis L. *L. sepium* Scop. non Koch. *Obs.* Diverso modo describunt *L. sepium* suum Scopolius et Kochius. *L. sepium* Rchb. — Si quis plantam vivam intemeratam, nec in herbariis compressam, observaverit, reperiet flores in racemo secundos esse, h. e. dimidium circumferentiae, vel duas tertias partes tenere, raro flore unico ceteris opposito. Ceterum planta glabra, leviter vel densius pubescens; stipulae majores vel minores, basi in caule semisagittatae, vel sagittatae, rarissime auriculis transversis hastatae; flores majores et minores, semina concolora albida, pallida, pallide rufa, rufa, fusca, purpurascens, vel fusca maculis et striis marmoreis picta.

L. sylvestris L.

L. latifolius L. In Tirolia italica austro-occidentali, finiti-maque provincia Brixensi, in valle di Vestino; in montibus lacu Benaco imminentibus.

L. heterophyllus L. In districtu di Livinallongo Tiroliae austro-orientalis.

L. palustris L. In ditione Bulsanensi prope Athesim; in Valsugana australi.

Pisum sativum L. Prope Gargnano in provincia Brixensi, quotannis quasi sponte, cum Iride pallida.

Orobus vernus L.

O. variegatus Ten. „Flores purpurei, colore vario picti“ Column. Phytobas. tab. XIV. Bonam ac veram hanc iconem summus Hallerus carpens (Hist. helv. Nr. 416) non intellexit, ad *O. vernum* trahens. — Racemi multiflori recurvi, flores *O. verni* multo minores frequentes; petioli foliorum superiorum, pedunculi, pedicelli, et calyces pubescentes, qua nota egregie ab *O. verno* distinguitur, non vero foliorum forma ad basim, quae eadem in *O. verno* latifolio, nec aliis notis quibusdam micrologicis. In ditione Bulsanensi, Tridentina, Roboretana, rario.

O. tuberosus L. Latifolius et angustifolius.

O. luteus L. In Tirolia austro-orientali finitimaque provincia Bellunensi.

O. Clusii Spreng. Vicia oroboides Wulf. Adeo per omnes partes *Orobus* est, ut cl. Pollini cum *O. luteo* potuerit commutare (conf. Fl. veronens. II. 479), quoad plantam m. Baldi. Nihil magis in tota scientia botanica forsan invita natura patratum quam ex hoc *Orobo* *Viciam* faciendo. Si in gratiam definitionis haec stirps est *Vicia* et simia est homo et gallus detractis plumis. In monte Baldo, in montibus di Tesino.

O. niger L.

Coronilla Emerus L. — *C. vaginalis Lam.*

C. montana Scop. In Tirolia australiore finitimusque provinciis Veronensi et Brixensi, solo calcareo.

C. varia L.

Hippocratea comosa L. In Tirolia austro-orientali, passim.

Hedysarum obscurum L. In alpibus, locis siccis, vel modice humidis.

Onobrychis sativa L.

XVIII. Cl. Polyadelphia.

Hypericum perforatum L. In montanis temperatis est foliis lato-ribus et calycibus majoribus, in montanis calidioribus et de-missis foliis sensim angustioribus et minoribus, et calycibus minoribus brevioribus.

H. quadrangulum L. In uidis et umbrosis montanis et sub-alpinis.

H. tetrapterum Fr. Ad fossas, in demissis, et montanis temperatis, rarius.

H. montanum L. In montanis, passim.

H. hirsutum L. In sylvis Tiroliae australioris.

H. Coris L. In ditione Tridentina in ascensu ad montem Bondon; in ditione Roboretana, supra Cei.

XIX. Cl. Syngenesia.

Eupatorium cannabinum L.

Adenostyles albifrons Rchb. In subalpinis et in sylvis alpium.

A. alpina Bl. et Fing. In alpinis, subalpinis, et montanis, in regione superiore culturae.

Homogyne alpina Cass.

H. discolor Cass. In Tiroliae austro-orientalis subalpinis et alpinis, in monte Vales districtus di Fiemme, ad fines provinciae Bellunensis; in valle di Badia ad fines Pustariae meridionalis; in Pustaria orientali in alpe dicta Kirschbaumeralpe, solo calcareo.

Tussilago Farfara L.

Petasites vulgaris Desf. — *P. albus Gaertn.*

P. niveus Baumg.

Bellidiastrum Michelii Cass.

Aster alpinus L. Ab imis vallium ad alpes.

A. Amellus L.

A. chinensis L. Rarius in ditione Tridentina ex hortis emigrans.

Stenactis annua Cass. In Tirolia italica orientali et contermina provincia Bellunensi, in districtu di Primiero; di Agordo; in reliqua Tirolia australiore sparsim et rarissime. *Obs.* Radix mihi observata triennis, an interdum tantum biennis mihi incertum. Ceterum observationes instituendae in natura libera, cum non sint legitimae illationes ex cultura.

Erigeron canadensis L.

E. acris L. E. Droebachensis Müll. *Obs.* Reperiuntur quandoque in glareis torrentium individua foliis glaberrimis, hoc est non ciliatis: quaenam est in his ciliorum directio? Ceterum non rara sunt, quorum folia alia sunt ciliis adscendentibus, alia patentibus, alia incurvis et recurvis simul. Pubes vero foliorum in diversis individuis minuitur per gradus. Folia plana vel torta qualia in Column. icon. II. 26.

E. Villarsii Bell. In monte Brenner in rupibus ad viam regiam; in valle Taufers Pustariae septentrionalis.

E. alpinus L. E. uniflorus L. E. grandiflorus Hop. E. glabratus Hop. *Obs.* Omnino cl. Candollei subscribendum sententiae, qui scriptorum praecedentes species ad varietates reducit (conf. Prodr. V. 291). Ratio enim corollarum tubulosarum foeminearum in variis individuis, in quibus quoad cetera nulla differentia est, numero tam varia est, ut distinctio confusione compar sit. Etenim frequentia occurunt individua, in quibus corollae femineae tubulosae paucae sunt, paucissimae, vel una aut altera tantum in capitulo.

Bellis perennis L. In demissis Tiroliae cisalpinae mediae, et subalpinis australioris.

Solidago Virga aurea L.

Chrysocoma Linosyris L. In ditione Bulsanensi; Roboretana.

Inula ensifolia L. In Tirolia maxime australi.

I. salicina L. In districtu di Fiemme.

I. squarrosa L. Ad lacum Benacum prope Tusculanum in ditione Brixensi. Mihi reperta quidem in Tirolia meridionali, sed excidit locus.

I. hirta L. In Tirolia meridionali calidiore.

Inula Britannica L. In demissis frequens.

Pulicaria dysenterica Gaertn. In montanis temperatis.

Buphthalmum speciosissimum Ard. In Tirolia italica austro-occidentali ad rupes calcareas, in confinio vallis Judicariensis, vallis di Vestino, et provinciae Brixensis.

B. salicifolium L.

Bidens tripartita L. — *B. cernua L.*

B. bipinnata L. In versuris, ad vias, in agris Tiroliae cisalpinae mediae prope Bulsanum, et ceterae australioris, ubi nunc agrorum vitium. Crescit in humidis et siccis locis.

Galinsoga parviflora Cav. In Valsugana orientali ex horto rev. Paterno seduli Botanici emigrans.⁸¹⁾

Madaria elegans DC. Mihi pauca specimina occurserunt in agro requieto in districtu di Civezzano ad orientem Tridenti, procul dnbio ex horto aliquo emigrans, nec quasi sponte nascens dicenda.

Anthemis arvensis L.

A. Cotula L. Prope Salurn et in districtu di Primiero, rara.

A. alpina L. Caulis raro biflorus, rarissime 3—4florus.

Achillea Ptarmica L. In valle Anania inferiore.

A. Clavennae L. In subalpinis et alpinis Tiroliae austro-orientalis.

A. macrophylla L. In sylvis abiegnis alpium, infrequens.

A. moschata Wulf. In subalpinis et alpinis regionum frigidiorum, in primis (perpetuo?) solo granitico.

A. atrata L. — *A. Millefolium.*

A. nana L. In alpibus glacialibus Tiroliae cisalpinae occidentalis, solo granitico.

A. tanacetifolia All.

A. odorata L. Prope Castellano in ditione Roboretana.

Chrysanthemum Leucanthemum L. *Obs.* Rarae exceptionis lege pericarpia coronula membranacea, varia quidem forma et magnitudine instructa.

Chrysanthemum montanum L. In Tiroliae cisalpinae orientalis et austro-occidentalis, montanis et subalpinis, in districtu di Fassa, di Livinallongo, di Ampezzo ad fines Pustariae meridionalis; in valle di Gardena; in Judicariis; in moute Baldo (hinc C. Bauhini icon prodr. p. 120 a cl. Schultz jure huc relata). *Obs.* Nos Linnaeana praecepta secuti (Philosoph. bot. § 170) quae quoad hoc et rationis sunt, generum lacerationem propter quamcumque in partibus fructificationis differentiam, non probamus, ne cogamur separare quae natura coniunxit, et ut nos nobiscum consentaneos praestare possimus. Pyrolas plerasque non aliunde quam ex floris partibus in species distinguimus. An ex his tot conficienda genera? Iisdem inherentes Linnaeanis praeceptis (Philosoph. bot. § 259), individua ex semine ejusdem plantae et eodem loco situ magis umbroso vel soli exposito, solo pingui vel macro nascentia, et inde variantia literis vel signis certis tamquam varietates non recipimus.

C. alpinum L. In alpibus graniticis. *Obs.* Distinguere varietates omnino supervacuum est.

C. corymbosum L.

Artemisia Absinthium L. In montanis et subalpinis, passim.

A. camphorata Vill. In demissis calidis, et montanis temperatis.

A. lanata W. In Tiroliae cisalpinae mediae et orientalis subalpinis, et alpinis ad rupes calcareas. *Obs.* Caules saepe ramosi, racemos plures folios gerentes.

A. Mutellina Vill. In alpinis et subalpinis, rarer.

A. spicata Wulf. In alpinis et subalpinis, rarer.

A. campestris L.

A. nana Gaud. Exclusa var. β . parviflora (conf. Gaudin fl. helvetica V. 231 et DC. prodr. VI. 98 Nr. 32 et pag. 96 Nr. 16). In alpe Isselitz supra Pregraten in Pustaria orientali.

Obs. Huc spectare videtur A. helvetica Schleich. in Reichenbachii fl. exc. Nr. 1363, ex vicinia loci „im Pinzgau“.

A. vulgaris L.

Tanacetum vulgare L.

Gnaphalium sylvaticum L. G. norvegicum Gunn. et Neotericorum. G. supinum Hoppe. G. Hoppeanum Koch. *Obs.* G. norvegicum nil aliud esse quam forma umbrosa G. sylvatici cuique manifestum fiet, qui situs silvaticos umbrosos, et apricos ejusdem loci investigare voluerit. G. supinum Hop. est forma oligocephala capitulis aggregatis.

G. angustifolium Lam. Prope Gargnano in provincia Brixiensi.

G. supinum L. — *G. uliginosum L.*

G. luteo-album L. In regione Vitis in Tirolia meridionali, infrequens.

G. Leontopodium L. — *G. dioicum L.*

G. carpaticum Wahlenb. Nostrum iconi in Wahlenbergii fl. carpat. t. 3 respondet ad unguem.

Filago germanica L. In Tirolia australi calidiore, rarer.

F. arvensis L. — *F. minima Fries.*

Carpesium cernuum L. In ditione Bulsanensi; in Valsugana rarissimum.

Cineraria longifolia Jacq. In alpinis, subalpinis, montanis in regione culturae. *Obs.* Scriptores Cinerariae plures species affines in Europa media crescentes distinguunt, quae an sint vere diversae nemo decernere poterit, qui omnes formas in quacumque regione, ubi crescentes indicantur, accurate non investigaverit. Notae a foliorum forma petiae micrologice sane sunt, et vix ad statuendas bonas varietates sufficere videntur. Nec majoris ponderis videntur esse quae ab indumento depromuntur. Quae vero a longitudine pappi desumuntur, quibusdam suspectae sunt, imo „nihil valere ad distinguendum“ auctores sunt cel. scriptores Floraes silesiacae (vol. III. p. 143—4). Dum cl. Kochius pappum C. longifoliae dicit tubum corollae aequantem, cl. Reichenbachius pingit brevissimum (conf. icon. plant. crit Cant. II. tab. 125).

Arnica montana L.

Doronicum (*Arnica*) *scorpioides L.*⁸²⁾ *Aronicum Clusii* Koch. *A. scorpioides* Koch. *Arnica glacialis* Wulf. *Aronicum*

glaciale Reichenb. Koch. *Obs.* Species istae ad specimina singularia factae, et prout varia erant illa, variae et diversae emer- serunt definitiones. Nec tempus terendum ad diluendas rationes differentiarum, quibus innituntur. Hoc unum addendum non esse depromptas ex observatione naturae. Quoad ad Arnicam glacialem Wulfenii, utique strenui plantarum indagatoris, attinet, caulis cavus vel farctus, magis vel minus rigidus, folia flexilia, vel rigida et fragilia; haec omnia pendent a varia fluidorum et solidorum mixtione ac copia et varia solidorum textura, ut non rarum sit omnes has formas uno eodemque loco, vario tamen situ, et solo reperire. Ceterum „pili caulis partim apice acuti, partim glanduliferi“ (ergo obtusi) Roth, Manual. p. 1226. Cum hac observatione καλῶς καὶ ὡρῶς facta comparandae de- scriptiones Kochii Aronici sui Clusii et scorpioides.

NB. Wulfen distinguit imprimis magnitudine.

Doronicum caucasicum Marschall. D. Columnae Ten. In alpium calcarearum locis frigidis, in monte Baldo; in monte Spinae Judicariensium, proximisque alpibus Ananiensium; in monte Schleern proximisque districtibus di Fassa, di Fiemme, et valle di Gardena, di Badia, districtu di Liyinallongo, di Ampezzo, ad fines Carinthiae usque in Pustaria orientali, nec non in pro- vincia Bellunensi. — Haec stirps acerrimarum litium inter veteres Botanicos causa fuit; indigne utrinque certatum, non rationibus, sed jurgiis. Mathiolus plantae suae in alpibus Tridentinis lectae radicem, artificiose demitis fibris, moniliformem sensim acutam, et scorpionis caudae in morem reduncam factam Dioscoridis de- scriptio (lib. 4 cap. 77) accommodavit. Reprehendendus quidem maximopere Matthiolus, et cum eo omnes Iconographi, qui omni tempore extiterunt, naturam non recte et vere reddentes. Nec Columnae exactissimi ceterum allata figura quoad radicem vitiō caret, annulatum nimis exprimens. Quoad folia (caulis casu ab- latus (exactissime est Doronicum nostrum caucasicum, forma rariore foliis pubescentibus.

D. austriacum Jacq. In Tirolia australi italica et austro- orientali, in monte Baldo; in Folgaria; in Tesino; in Canal San Boyo.

Senecio vulgaris L. — *S. viscosus L.* In montanis et subalpinis.

S. sylvaticus L. In pinetis supra Sand vallis Taufers Pustariae septentrionalis.

S. rupestris W. K. *S. nebrodensis DC.* Prodr. non Linnaei et Kochii, qui plantas suas faciunt annuas; nostra est perennis. Caulis siccus (emarcidus) caulem florentem comitans est testis radicis perennis. Vulgaris in Tiroliae meridionalis montanis et subalpinis.⁸³⁾

S. abrotanifolius L.

S. erraticus Bertol. *S. barbareifolius Rehb.* (juxta Botanicos Germaniae quosdam non infimi nominis. Conf. etiam Koch Taschenb. p. 283). *Obs.* Foliorum pinnae latiores et angustiores, horizontaliter patentes, vel ascendentes, ut a Reichenbachio pinguntur (Icon. plant. crit. c. 4 tab. 357); corymbi rami locis subhumidis ad fossarum margines apricis divaricati, locis palustribus herbosis et in agris erecto patuli; pericarpia juniora subinde omnia laeviter pubescentia. Pericarpium dico non achenium, vocabulum barbarum, ut videtur corrupta derivatione a voce ἄκανθος a Theophrasto saepius usurpata. In pericarpio omnes sunt notae, quae ab ejusmodi fructu desumuntur. Vocabulis pericarpium et ejus partes significantibus utuntur de fructibus umbelliferarum. — In Tiroliae meridionalis demissis calidis, et montanis temperatis, vulgaris.

S. Jacobaea L. In pratis humidis prope Belluno.

S. alpinus Scop. DC. In subalpinis et locis humidis, aut palustribus in montanis interdum in regione culturae.

S. carniolicus W.

S. Cacaliaster Lam. In alpium silvis, in primis ad mandras, in districtu di Fiemme, di Fassa, proximisque; in Judicariis; in valle di Ledro. Ubi floribus radiantibus provenit, quod rarissime contingit, ligulae sunt pallide sulfureae.

S. nemorensis L. Varietas in fruticetis ad vitis terminum foliis est lato ovatis breviter petiolatis. Varietas in montium et alpium nemoribus frigidis est foliis rigidis coriaceis lanceolatis,

vel ovato lanceolatis, sessilibus basi angustatis. Variat praeterea foliis longius petiolatis. Capituli radius 2—5florus, nec umquam 7—8florus.

Senecio paludosus L. In valle Athesina prope Brandzoll, prope Sigmundseron; in Judicariensium valle australiore ad lacum di Idro.

S. Doronicum L. In subalpinis et alpinis Tiroliae austro-orientalis. Caulis mono-decacephalus.

Echinops sphaerocephalus L. Prope Roboretum; prope Kaltern; in valle Venosta media.

Calendula arvensis L. Prope Tignale ad Benacum.

Saussurea alpina DC. In Tirolia austro-orientali.

S. discolor DC. In districtu di Fassa, proximisque, et conterminae ditionis Bellunensis.

Carlina acaulis L. Caulis quandoque pedalis et sesqui-pedalis.

C. vulgaris L.

C. longifolia Reichenb.? In monte Tatoga districtus di Primiero. Caulis bipedalis et altior, folia anguste lanceolata, semipedalia et longiora, capitula ab uno ad quinque, bracteae capitula aequantes. Praeter bracteas breviores ad unguem similis iconi Reichenbachiana (Pl. criticae C. VIII. tab. 761). *Obs.* Tota quanta species nihil aliud esse videtur, quam forma silvatica *C. vulgaris*. Locus ad altitudinem 5000 pedum supra mare alpinus non est (conf. Koch syn. p. 406) quum prope quidem, sed infra arborum terminum sit, necesse est.⁸⁴⁾

*Centaurea Jacea L.*⁸⁵⁾

C. nigrescens W. In Tirolia meridionali vulgaris. Variat insigniter magnitudine et in primis foliorum forma.

C. Phrygia Willd. spec. plant. *C. Phrygia Reichenb.* icon. crit. *C. nervosa Willd.* apud Koch. In subalpinis regionum frigidiorum Tiroliae meridionalis. *Obs.* Si qui putant esse interdum ramosam et pleiocephalam, cum ea confundunt specimina *C. austriacae*.

Centaurea austriaca W. Reichenb. plant. crit. In montanis et subalpinis Tiroliae cisalpinae septentrionalis et orientalis, in Comelico Bellunensium usque ad fines Fori Julii et conterminae Carinthiae, solo granitico. C. austriaca et phrygia Koch synopsis. In Taschenbuch cum austriaca conjungit et sequentem.

C. rhaetica Moritzi. Obs. Speciem praecedenti affinem observavi saepius in Tirolia austro-occidentali in montanis et in regione suprae vitis in val di Ledro; in valle australiore Judicariensi, solo calcareo. Differt a C. austriaca, cui similis, caule graciliore, foliis angustioribus, et in primis capitulis conspicue angustioribus e basi ovata elongatis.⁸⁶⁾

C. montana L. C. axillaris W. Forma in Tirolia meridionali proveniens est foliis angustioribus, multimodis variantibus, ut ad ea quae cl. Willdenowius profert hanc a Centaurea montana distinguens respicere non possimus.⁸⁷⁾

C. Cyanus L.

C. Scabiosa L. Obs. Nec minus quam C. montana et C. nigrescens variat foliorum forma. C. Grafiana DC. huc certe pertinet in Tirolia meridionali caldiore proveniens „involueri squamis in spinam brevem subinermem productis“ Prodr. VI. 587.⁸⁸⁾

C. paniculata L. Obs. Clarus Kochius nomina Linnaeana sine causa perturbans, quae cuique scientiae naturalis cultori sacra esse debent donec bona, distinguit C. maculatum et paniculatum Lam. ex colore squamarum calycis (involuci). Quam laevidenses sint notae ex colore depromptae ostendimus de Viola tricolore. In hac Centaurea ego et alii vidimus in ditione Bulsanensi calyces altero anno colore fusco, altero ex viridi flavientes. Observavi etiam altero latere, soli obverso nimirum, fuscos, opposito pallidos, ipsi vero lato ovati, et oblongo ovati non raro in eadem planta reperiuntur.⁸⁹⁾

C. Calcitrapa L. Prope Roboretum, loco unico, a perito Botanico: Cristofori primum reperta.

Centropyllum lanatum DC. In Tirolia australiore. Obs. Indicant quidam Scolymum hispanicum in Tirolia australi crescentem, de quo dubitandum.

Onopordon Acanthium L.

Carduus acanthoides L. In Tiroliae meridionalis demissis et montanis temperatis.

C. Personata Jacq. In Tiroliae et provinciae Bellunensis silvis rarus.

C. arctioides W.

C. desfloratus L. *Obs.* Formae, quae specierum loco habitae fuerunt, videas apud Decandolle (Prodr. Vol. VI. p. 628). Varietas C. crassifolius W. C. Summanus Pollini (Fl. veronens. II. t. 6) frequentior in Tirolia australiore et austro-occidentali finitimisque provinciis Veronensi et Brixensi Variant omnes formae rarius floribus albis.

C. nutans L. C. platylepis scriptorum. *Obs.* Posterior haec forma vulgaris in Tirolia meridionali, in primis in montanis ad culturae terminum usque, ut varia est sic et varie a scriptoribus describitur. Ipse vero cl. Inventor negat a C. nutante diversam esse speciem.

Cirsium lanceolatum Scop.* — *C. eriophorum Scop.

C. palustre Scop.

C. pannonicum Gaud. In demissis calidis et montanis temperatis, in ditione Tridentina et Roboretana; in provincia Brixensi ad lacum Benacum; in provincia Bellunensi inter Belluno et Longaron. ⁹⁰⁾

C. carniolicum Scop. In subalpinis Tiroliae italicae austro-orientalis, in monte Campogrosso in Vallarsa ad fines Vicentinos.

C. Erisithales Scop.* — *C. heterophyllum All.

C. rivulare Link. Cnicus alsophilus Pollini fl. veron. II. 620 Icon. tab. V. exhibens in apice caulis capitula 4 longius pedunculata. *Obs.* Posterior haec forma a cl. Pollini ad speciei dignitatem erecta, forsitan eo quod Botanici non adverterint C. rivulare saepe in sylvis nasci. Cnicus salisburgensis Willd. ab C. alsophilo non differt: Pedunculi 2—3—4, raro 5 anthodii Pollini. ibidem.

C. oleraceum Scop. In Tirolia meridionali in universa culturae regione passim.

Cirsium acaule All. — C. arvense Scop.

C. flavescentia Koch. In pratis subalpinis et regionis alpinae inferioris, in districtu di Fassa proximisque, et in contermina provincia Bellunensi, infrequens rarissimum in valle Judicariensi. **Obs.** Non speciem sed progeniem hybridam esse nascentem ex connubio *C. Erisithalis* et *spinosissimi* ostendit ejus indoles formis variantibus vagans inter dictas species, in quarum consortio perpetuo reperitur. Semina *C. flavescentis* edere *C. spinosissimum* argumento est frequens utriusque proximitas. Habitus plantae et color est *C. Erisithalis*, cui plerumque et foliis magis simile. Capitula solitaria nutantia, vel pauca, vel plura erecta, *Cirsii* *spinosissimi* instar congesta, calycis phyllis non glutinosis magis elongatis et magis spinosis quam *C. Erisithalis*. Bracteae numquam albidae.

C. spinosissimum Scop. In pratis et pascuis subalpinis et alpinis.

Lappa major Gaertn. — *L. minor* DC.

L. tomentosa Lam. In districtu di Ampezzo. **Obs.** Leves nimis quibusdam notae videntur, quibus haec species distinguuntur.

Rhaponticum scariosum Lam. In subalpinis Tiroliae italicae australioris.

Serratula tinctoria L.*Lapsana communis* L.

Rhagadiolus edulis L. In provincia Brixensi ad lacum Benacum.

Aposeris foetida DC. (Nomen puerile). In Tirolia italica passim.

Cichorium Intybus L.

Hypochoeris radicata L. In demissis et montanis temperatis.

H. maculata L. In subalpinis vallis Judicariensi versus valle di Ledro.

H. helvetica Jacq. In subalpinis et alpinis Tiroliae meridionalis frigidioris.

Leontodon autumnalis L.

Leontodon Taruxaci Lois. In alpibus districtus di Fassa proximisque. (In monte Baldo Pollini „Apargia crocea“ Flor. veron. II. 565 tab. 4.)

L. alpinus Jacq. — **L. hastilis L. DC. Prodri.**

L. hispidus L. DC. *Obs.* Distinctionem L. hispidae L. quod synonymon cl. Kochius in Taschenbuch antiquavit, a L. hastili ego quidem non urgerem. At jure quaeritur, si respectu habitu ad praeepta quae sequimur nobiscum consentientes esse volumus an ponderosioribus, vel quibus certis notis L. pyrenaicus Gouan. ab L. hastili specie distingui possit.

L. incanus Schr. In rupestribus demissis calidis, montanis et subalpinis soli obversis in Tirolia meridionali, passim, solo calcareo.

L. saxatilis Reichenb. In valle Lagarina Tiroliae maxime australis in regione vitis, non rarus, solo calcareo. *Obs.* Confusum a quibusdam cum L. crispo Vill.

Tragopogon major Jacq.

T. pratensis L. Cum var. tortili, quae rarer.

Scorzonera austriaca W. In demissis calidis.

S. humilis L. In regione montana temperata et subfrigida.

S. alpina Hop. In Tiroliae meridionalis frigidioris alpinis, subalpinis et montanis in regione culturae.

S. purpurea L. In montanis, subalpinis et alpinis Tiroliae italicae austro-orientalis in Tesino. *Obs.* Nomen malum ut non pauca Linnaeana, et omnia a Xerographis desumpta a colore florum, si carneus, roseus, purpureus, qui in herbariis in cyaneum et violaceum mutatur. Eodem vito laborant florum horum picturae ad specimina sicca factae. Caules in montanis ramosi, in alpinis simplices. Planta carniolica, quam cl. Kochius praeeunte cl. Candolleo nomine S. roseae W. K. separat, a nostra non differt.

Picris hieracioides L.

Prenanthes purpurea L. Variat foliorum forma : P. tenuifolia L. in ditione Bulsanensi.

Lactuca virosa L. In ditione Bulsanensi; in valle Anania inferiore, raro.

L. Scariola L. — *L. perennis L.*

L. muralis Fres. In montanis temperatis.

Cicerbita alpina Wallr. *Sonchus alpinus L.* *Mulgedium alpinum Cassini.* DC. Koch. — *Cicerbita nomen antiquum* (conf. C. Bauhin Pin. p. 124 Wallr. sched. p. 433), *Mulgedium novum et barbarum*; at Neotericis placent barbara.

Sonchus oleraceus L. S. asper Vill. *Obs.* Nulla necessitas cogit nomen Linnaeanum mutare, cum S. asper nil aliud sit, quam S. oleracei varietas. Fallaces enim tantum notae sunt, quibus distinguere satagant scriptores. Quippe non rarum est observare foliorum auriculas acuminatas et rotundatas in eadem planta, quin et in eodem folio.⁹¹⁾)

S. arvensis L.

Chondrilla juncea L.

Ch. prenanthoides Vill. In rivorum glareis in Valsugana; in Judicariis; in Cadore Bellunensium.

Taraxacum officinale Wigg. *Obs.* In alpibus calyces atrovirides erecti vel apice reflexi; in palustribus folia linearia integrerrima; in agris humidis folia lanceolata dentata, in aridis praesertim calidioribus, sed et in montanis, folia tenuiter dissecta et laciniata.

Willemetia apargioides Cass. In subalpinis et alpinis Tiroliae meridionalis frigidioris.

Crepis foetida L. In valle Venosta et inde per vallem Athesinam ad fines Veronenses usque.

C. setosa Hall. fil. In demissis Tiroliae meridionalis calidioris frequens.

C. biennis L. In demissis calidis et montanis temperatis.

C. tectorum L. In vitis regione, prope Briximum; in valle Venosta, in ditione Bulsanensi; in valle Ulten; in Judicariis.

Obs. Solum ubique graniticum est.

C. virens Vill. In Tirolia meridionali calidiore.

Crepis pulchra L. In demissis et montanis temperatis, in districtu di Fiemme, in valle Anania inferiore; in agro Tridentino et Roboretano; prope Brentonico ad radices montis Baldi, rara.

Crepides Neoterorum, Hieracia Linnaei: *Obs.* Contra Naturae et artis leges Nuperi ad Crepides traxerunt. Omnium partium structura et concentu Hieracia sunt. An Crepides ob squamas quasdam ad basin calycis? Et Hieracia calculata sunt. An ob pappi colorem ab Hieraciorum diversam? Etiam Hieracia quaedam gaudent „pappo subniveo“ (Frölich). Pappum in omnibus Crepidis esse teneriorem quam in omnibus Hieraciis non videtur esse perpetuum. *Obs.* Calycem cum Linnaeo eam dico partem Compositarum, quam Neoterici, qui novaturiunt (Wallroth), involucrum appellant, notione nimium diversa forte comprehendente. Ea pars calyx est forma et functione. Ipsi vero ἀτόπως calycem (calyculum) squamas basilares dicunt, quae pars eo minus erit calyx, si flores continens calyx non est. Perianthium erit forsitan aptius vocabulum, flores circumdans et continens.

Hieracium aureum Scop.

H. montanum Scop. (non Jacq.). In alpibus, montibus et in imis vallium in regione Oleae cultae. In alpibus est capitulis minoribus, hinc Geracium parviflorum Reichenb. Forma communis est floribus luteis, quae a scriptoribus meridionalibus pro *H. praemorsa L.* habetur. Forma floribus carneis: *H. incarnatum* Wulf. in districtu di Ampezzo; di Agordo in provincia Bellunensi; floribus ex albo dilutissime roseis una cum forma vulgari in monte Sorist ditionis Feltriensis ad fines Tirolenses di Valsugana. *Obs.* Duo apud scriptores occurruunt absurdia: ex solo colore, et vel hoc variabili, fabrefacere speciem; incarnatam dicere, quae vulgo lutea est, et hanc, petiorem, ei subdere.

H. alpestre Jacq. *Crepis chrysanthra* Fröl. *Crepis jubata* Koch. *Obs.* In subalpinis et in montanis plaga septentrioni observata, est caule simplici, in montanis editioribus temperatis in regione culturae, caule ramoso, capitulis 2—6 et pluribus. Folia integra, vel laeviter vel profundius dentata, vel runcinata; caules pedunculi et calyces breviter pubescentes virides, vel tomento

albido rariore vel denso incani, vel inspersis pilis rarioribus aut frequentioribus, brevioribus aut longioribus, rectiusculis vel flexuosis hirsuti. Ex his species, quales *C. chrysantha* et *jubata*, possent construi saltem viginti, micrologica acribeia. 92)

Hieracium grandiflorum All. In alpinis, subalpinis et montanis regionum frigidiorum, solo granitico.

H. blattariooides L. In subalpinis, in alpe Vette di Feltre ditionis Tirolensis; in Judicariensium valle media, solo calcareo.

H. chondrilloides Jacq. In alpibus regionum frigidiorum.

H. paludosum L.

Soyeria montana Monn. In pratis subalpinis in Costalonga districtus di Fassa, et Karneid, in valle di Gardena.

Hieracium. Genus a Xerographis praecipue recentioribus desolatum et pessum datum (conf. Schultz in Flora 1842 p. 683). Illis quamplurimarum specierum et varietatum studium summum, finis primus et ultimus. Quod ipsis quam facillime licuit praestare, formarum studium membranatim, nec continua progressione, utpote ad specimina in herbariis servata casu hinc inde arrepta absque observatione continuitatis, aggressi. Accessit experimentum captum cultura, errorum matre foecundissima; arbitrii id quod cultum non mutatur esse speciem; quod vero mutatur suientes pro novis varietatibus speciebus natura ortis addendis. Postremo toto generi ultimam minantur ruinam Hybridistae. Solliciti expectamus an tantum facinus audeant. Segnitie et ignaviae est argumentum non penitioris Naturae studii, varias vagantesque formas, quas quo pertineant non intelligimus et bene perspectas non habemus, dicere species hybridas. — De Hieraciis nunc pauca et per summa capita. Species pleraque habentur pro artificialibus, cum limites inter varias formas saepe non appareant. Cavendum vero quod rei necessitate artificiale debet esse, ne fiat nimis arbitrarium.

Hieracium pilosellaeforme Hop. Videtur posse haberi pro distincta specie, cum in istis saltem regionibus formae mediae ambiguae non occurant; ubi una cum *H. Pilosella* L. crescit, caule robustiore rigidiore praecellens.

Hieracium Auricula crescit in alpibus sat frequenter, stolones edens modicae longitudinis, breves, brevissimos aut nulos; foliis instructum latoribus vel angustioribus, obtusis aut acutis. **H. angustifolium Hop. Willd.** est factum ex exemplaribus selectis hujus stirpis.

H. furcatum Hop. sphaerocephalum Fröt. Non oportuit sectione separare ab **H. angustifolio**, cum vix tamquam varietates differant. Qui differentiam sustineat necesse est quam plurimas frequentesque formas intermedias negligat pedunculis per omnes gradus brevioribus et longioribus capitulis fructiferis ex globoso ovatis et simpliciter ovatis, et cet. Capitula, si majora, magis conspicue ventricoso depressa, minus in minoribus, sed etiam capitula minora **H. dicti angustifolii** non raro observantur globosa. Quod ad pubem stellatam attinet **H. angustifolium** intermedium est inter **H. auricula** et **H. furcatum**, pube nunc parcissima, vix ulla, nunc per gradus copiosiore. Altera parte **H. furcatum** jungitur **H. bifurco** (mihi prope Völs reperto) stolonibus valde elongatis in alpe di S. Pellegrino; in Pustaria etc.

H. piloselloides Vill. est **H. florentini Willd.** et auctorum forma in glareosis, siccis, apricis, terra nuda crescens.

H. cymosum auctorum. Si nomini communiter recepto res certa respondet, non est mutandum. Huic tanquam varietas sub-jungendum:

H. sabinum Seb. et Maur. (prope Moena in districtu di Fiemme, juxta Kochii determinationem). **H. cymoso** simile et formis intermediis vix distinguendum **H. aurantiacum luteum** (in alpe Padon districtus di Fassa et contermina provincia Bellunensi), tamen **H. aurantiacum** a **H. cymoso** separandum non putaverim ne nimia simul congerantur.

H. glaucum All. miris modis variat. Hujus forma seu varietas est **H. glabratum Hop.** in alpium devexitatibus locis saxosis et rivorum glareis non infrequens, et **H. bupleuroides Gmel.** (hoc in ditione Roboretana, per omnia iconi Gmelinianae fl. badens. III. tab. 2 respondens praeter calyces nimis pilosos.

Inter *Hieracium glanduliferum* Hop. et *H. Schraderi* dantur formae intermediae caule pube densa glandulifera inspersis pilis simplicibus copiosis longioribus. Verum cum rarae sint, exceptionis loco habendae; rara exceptio non labefactat regulam. *H. glanduliferum* est planta soli granitici, ab Helveticis ad Carinthiacos Tiroliae crescens.

H. alpinum L. In alpibus passim. Planta est solo granitico propria, rarissima tamen in alpe Gazza Tridentinorum solo calcareo puro. Inter magis variabilia Hieracia maxime varians: caulis biuncialis vel semipedalis et major, nudus, paucifolius et plurifolius, in istis regionibus plerumque simplex, capitula minora vel majora. Ex his variandi modis a scriptoribus in innumeris varietates distinctum fuit; quae agendi ratio non minorem Botanicae infert labem immensa varietatum forragine, quam specierum; imo majorem, cum quisque novandi libidini et philautiae indulgens sibi condat peculiares. Diversae *H. alpini* varietates sunt Gaudini, diversae Frölichii. Quis hoc Augiae stabulum repurgabit? quis scientiae hoc inutile pondus, quo obruta jacet, tandem tollet? Nonne paucis verbis continua oratione, ut continui sunt variandi modi, hi declarari possunt? Scriptorum varietates contra Naturae et rationis leges esse exstructas patet inde quod distinctis literis et signis distinctas tradant, quas Natura distinctas non condidit, sed continuata serie et progressione. Eo ventum est, confundente hac distinguendi ratione, ut Botanici non amplius cognoscant, quae cognoscunt pecora (conf. Bertol. fl. ital. VI. 205). *Obs.* Optimam speciei ab affinibus distinguae notam praebet pubes in apice corollarum.

H. murorum. *Obs.* In Friesii, clari viri, quem ob merita debita prosequimur reverentia non possumus abire sententiam arbitrantis formam „foliis basi cordatis profunde retrorsum dentatis“ (Nov. p. 257—8) esse spectandam tamquam in medio positam („pro centrali“) inter ceteras, a qua reliquae aequaliter ex opposito absint. Quin potius medium tenens statuenda forma foliis basi rotundatis, circa quam ordinantur hinc forma foliis cordatis, hinc basi angustatis in petiolum productis, quae et

vulgatissima est in nostris regionibus, et in Germania, teste ipso Tabernaemontano (Kräuterbuch S. 504—5). His ita constitutis improbanda est definitio totius speciei ponens pro typo formam foliis radicalibus cordatis, dentibus profundioribus retroversis. Nam sat frequens est forma foliis radicalibus basi breviter dentatis, dentibus horizontalibus, praesertim si folia sint plus vel minus in petiolum angustata.

Hieracium sylvaticum Auctorum. Inter hoc et praecedens Hieracium reperiuntur formae mediae frequentes continua progressionem utrumque conjungentes, quas saepissime dubius haeres ad utrum referas. In H. murorum, saepe maturius florente, cum vis vitae ad producenda plura folia in H. sylvatico plus temporis indigeat, corymbus patentior; quod vero perpetuum non est, in primis in individuis in umbra silvarum crescentibus, quorum pedunculi H. sylvatici instar magis erecti. Hinc juxta receptas in arte regulas ambo forent in speciem unam conjungenda. Attamen cum formae communes utriusque ab invicem insigniter distent, satius videtur distinctionem retinendam, eo magis quod in hoc genere species plerasque artificiales esse necesse sit. Verum cum hoc damus, delenda sane futilis plures a scriptoribus ab istis separatae species, innixa characteribus, quibus vix varietas tertii ordinis sustineri possunt. Hujusmodi sunt formae variantes foliorum colore, caule ramoso, foliis caulinis paucis cum radicalibus basi rotundatis vel angustatis etc. Nec decet sibi quamdam definitionis formam construere limitibus pro lubitu positis tamquam Procrustis lectum, detruncando quod in eam non quadrat.

H. amplexicaule L. In subalpinis, montanis, demissis ad montium radices in regione vitis, solo granitico et calcareo.

H. intybaceum Jacq. In montanis et subalpinis solo granitico.

H. cotoneifolium Lam. Fröl. in DC. prodrom. VII. p. 210). In monte Stilfserjoch Tiroliae austro-occidentalis. Si species ab H. prenanthoide Vill. distincta non est, ostendendum hoc formis intermediis conjungentibus.

Hieracium sabaudum L. et plurim auctorum. *H. sylvestre* Tausch. *H. boreale* Fries. *H. laevigatum* Koch syn. *H. rigidum* Hartm. Koch Taschenb. Hieraci sabaudi nomine antiquissimo conjungimus species, quas separatas stare non posse perspeximus. *H. laevigatum* vel *rigidum* est forte laevissima varietatum inter omnia Hieracia, distincta colore pallido marginis phyllorum calycis. Ut in universum partium plantarum color variabilis res est, in hac Hieracii forma per omnes inperceptos gradus ad obscuriores transit. Ut *Hieracium Sabaudum Allionii* et *Recentiorum*, et *H. sylvestre* Tausch a scriptoribus varie describuntur, prout ipsis varia specimina prostabant; sic in Natura variantia deprehenduntur, nullo inter ipsa limite servato. Nigrior calyx est *H. sylvestris*, tamen sensim in pallidiorem colorem transiens nulla ceterarum partium differentia. Illud nobis licet quaerere: Ubi in data planta partes plures variare deprehenduntur, quaenam est ratio juxta quam aliae tanquam variantes judicandae, aliae non?

H. umbellatum. Consentunt scriptores pro distincta ab *H. sabaudo* habentes specie. Verum si quis Tiroliam meridionalem scrutare velit, comperiet in hac regione non posse distingui. Forma genuina viget et hic, quamvis rarior, foliis anguste lanceolatis, calycibus squarrosis. Verum tamen ab hac forma normali statim desciscit, folia induens sensim latiora, tandem *H. Sabaudi* aemula, calycis phyllis per gradus magis erectis et rectis, apice laeviter recurvo, dein erectiusculo, aut inferioribus tantum recurvis, et apice curvulo, tandem omnibus erectis et adpressis. Ex quo fit ut major sit numerus individuorum ambiguorum et in medio stantium, quam eorum, quae ad alterutram amandari possint.

Hieracium. Crescit in alpe Padon districtus di Fassa in confinio provinciae Bellunensis *Hieracium*, quod cl. Frölich determinavit *H. valde pilosum* Vill. — Crescit in eodem loco aliud *Hieracium*, quod per omnes partes *H. murorum* est, calycibus vero villosissimis. Verum priusquam novas proponamus species, veteres infirmas deletas videre volumus.

XX. Cl. Gynandria.

Orchis fusca Jacq. In ditione Roboretana rara.

O. militaris L.

O. Simia Lam. In ditionis Roboretanae declivitatibus soli obversis, in regione vitis.

O. variegata All. In Tirolia italica australiore, finitimaque provincia Brixiensi. Variat floribus albis.

O. ustulata L. — *O. coriophora* L.

O. globosa L. — *O. Morio* L.

O. Spitzelii Sauter Koch. In flore recente (nec compresione in herbario violato) observatur perigonium in galeam connivens, foliolis obtusiusculis, exterioribus e fusco lividis. Labelli lobi laterales minores obliqui, medius emarginatus (1842). I Gui in val di Ledro. — „Calyx galeato-connivens, foliolis 3 exterioribus fuscis. Labellum 3-lobum, lobis lateralibus lato-oblongis, medio majore emarginato. Labellum pallide roseum obscurius punctatum. In valle Gaverdina di Giudicarie“ (haec scripsi in loco, ergo Kochii definitio non exacta). *Obs.* Anno 1843 loca non invisi, frigidis annis 1844 et 1845 caulem non edidit.

O. pallens L. In montibus ad occidentem lacus Benaci in confinio ditionis Tirolensis et Brixensis supra Pegasena. *Obs.* Anno frigido 1844 caulem non edidit.

O. mascula L. In alpinis, subalpinis et montanis in regione culturae.

O. sambucina L. — *O. maculata* L.

O. latifolia L. *O. incarnata* L. *O. angustifolia* quorundam. *O. Traunsteinerei* Saut. Koch. *Obs.* In montanis et subalpinis flos major. In paludibus profundioribus folia magis erecta cum caulis elongatis et floribus minoribus. Cetera relinquimus Micrologis et Xerographis progressionem formarum et nexus non curantibus. In demissis calidis, montanis, subalpinis.

O. pyramidalis L. In Tirolia italica calidiore. 93)

Gymnadenia conopsea R. Br. — *G. odoratissima* Rich.

Habenaria viridis R. Br. — *H. albida R. Br.*

Platanthera bifolia Rich.

P. chlorantha Cust. Prope Sigmundseron, et prope Badel in ditione Bulsanensi; supra la Zambana in ditione Tridentina; in Monte: I Gui in valle di Ledro. *Obs.* Si quis speciem distinctam esse negat, vivam non vidit.

Nigritella angustifolia Rich. A regione culturae ad alpes. Variat floribus puniceis, coccineis, et roseis.

Orchis suaveolens Vill. Mihi reperta primum inter tabulas schistosas („Platten“ Reichenb. fl. exc. Nr. 821) in alpe Pasterze Carinthiae superioris, exemplari unico; dein in alpibus districtus di Fassa, et di Fiemme, rarissima. *Obs.* Habeo pro prole hybrida ex connubio *Orchidis conopseae L.* et *Satyrii nigri L.*, in quorum consortio crescit, et quidem ex his causis. Cl. Villarsius in ea suspicione fuit ut, si species hybridae (dicit „hybrides“ simpliciter) dari possint, ejus parentes forent *Orchis odoratissima* et *Satyrium nigrum*. Cum magis medium teneat inter postremam stirpem et *O. conopseam*, probabilius videtur alterum ex parentibus esse *P. conopseam*, eo magis, quod *O. odoratissima* quandoque desideratur in ejus societate. Praecipuum argumentum meae sententiae est variabilitas formae et directionis perigonii, modo magis ad *Satyrium nigrum* modo magis ad *O. conopseam* accendentis, calcare tamen ovarium numquam excedente. Nec novum exemplum est indolis hybridae plantarum in Orchideis; habeo exemplar in prato paludoso lectum plane medium inter *O. conopseam* et *O. latifoliam*. Accedit plantae raritas. Caulis in meis speciminibus 4 uncialis et 10 uncialis; folia lineas 2 et 6 lata, 2 et 4 uncias longa; spica semiuncialis et biuncialis longitudinis; perigonii labellum transversum, erecto patens, patentim deflexum; integrum, integrum crenulatum, integrum laeviter repandum, bidentatum, leviter et evidentius trilobum; flores laete purpurei.

Ophrys muscifera Huds.

O. aranifera Huds. In Tirolia australiore finitimisque provinciis Veronensi et Brixensi, frequens.

Ophrys arachnites Rcht. In ditione Roboretana sub Castellano, loco unico.

O. apifera Huds. In ditione Roboretana; prope Riva ad lacum Benacum; in provincia Brixensi ad lacum Benacum, rara.

Chamaeorchis alpina Rich. In alpibus graniticis Tiroliae cisalpinae orientalis et auro-borealis; in districtu di Fiemme, di Fassa; ad montem Glockner, rara.⁹⁴⁾

Herminium Monorchis R. Br.

Serapias cordigera L. (*S. pseudocordigera Moric. Koch*). In pratis palustribus in imis vallium, et in montanis temperatis, in ditione Roboretana; in Valsugana media.

Limodorum abortivum Sw. Prope Bulsanum; in Tirolia australiore finitimaque provincia Brixensi.

Cephalanthera pallens Rich. In Tirolia italica australiore et austro-occidentali.

C. ensifolia Rich. In Tirolia calidiore, praecedente frequentior.

C. rubra Rich. In Tirolia calidiore, passim.

Epipactis latifolia Alt. In demissis calidis, montanis et subalpinis. *Obs.* *E. rubiginosa Gaud.* est insignis varietas conjuncta formis intermediis.

E. palustris Crantz. In Tirolia meridionali rara; prope Bellunum versus flumen Plavim.⁹⁵⁾

Neottia nidus avis Rich. In demissis, montanis et subalpinis.

Goodyera repens R. Br. In montanis Tiroliae meridionalis, rario.

Spiranthes aestivalis Rich. In Valsugana australi versus fines Bassanenses.

Corallorrhiza innata R. Br. In districtu di Primiero; di Fassa; Karneid, rarissima.

Malaxis monophyllos Sw. In silva abiegna septentrionem spectante prope Forno in districtu di Fiemme, rarissima. *Obs.* Labellum, quod Halleriana figura (Helv. II. t. 36) exhibit integrum, est trilobum, lobis lateralibus parvis subincurvis pallidioribus.

Sturmia Loeselii Reichenb. Rev. Paterno detexit prope Tezze ad muros antiquos umbrosos muscosos et docta avaritia male cautus delevit.

- *Cypripedium Calceolus L.*

Aristolochia Clematitis L. In Tirolia meridionali calidiore et temperata; in agro Ticinensi.

XXI. Cl. Monoecia.

Euphorbia helioscopia L.

E. platyphyllus L. et *E. stricta* determinante cl. Kochio.
In Tirolia italica australiore.

E. dulcis L.

E. angulata Jacq. In Tirolia italica calidiore.

E. carniolica Jacq. In Tiroliæ meridionalis montanis, passim.

E. verrucosa Lam. In monte Baldo Tirolensi.

E. palustris L. In Tirolia italica australiore. 96)

E. Gerardiana Jacq. In valle Venosta inferiore, inde per vallem athesinam usque ad fines veronenses.

E. amygdaloïdes L. In Tirolia italica australiore.

E. Cyparissias L. In demissis, montanis, subalpinis.

E. Esula L. In agro Tridentino; in confinio Tiroliæ et provinciae Veronensis ad Athesim.

E. nicaeensis All. In Tirolia italica austro-occidentali in districtu di Riva, Arco, Vezzano.

E. Peplus L. In ditione Tridentina, Roboretana; prope Bellunum.

E. falcata L. In ditione Tridentina, Roboretana, ceteraque Tirolia australiore.

E. Lathyris L. In ditione Bulsanensi, rara.

Arum maculatum L.? In Valsugana in valle della Gallina; in monte Baldo loco dicto: ai Pianetti; in valle di Vestino prope Paroeciam. *Obs.* A. orientali, ut a cl. Reichenbachio pingitur (Icon. fl. germ. Aroid. tab. 9) ut ovum ovo simile, praeter

folia in nostro interdum angustiora (conf. Marschall a Bieb. fl. taur. cauc. II. 407), et spatham (vaginam, ex viridi pallidam; ut clarissimus Germaniae Botanicus in ea fuerit sententia nostrum debere A. orientale M. B. appellari. 97)

Arum italicum Mill. Prope Gargnano in provincia Brixensi.

Najas minor All. Prope Rovere alla luna in valle Athesina.

Zannichellia palustris L.

Typha latifolia L.

T. minima Hop. In valle Athesina Tiroliae meridionalis.

T. angustifolia L. Ad lacum Benacum in vicinia Insulae Sirmio. *Obs.* Prope Salurn in valle Athesina reperiuntur inter hanc et *T. latifoliam* formae per omnes gradus intermediae.

Sparganium ramosum Huds. In demissis calidioribus, rarius in montanis temperatis.

S. simplex Huds. In demissis et montanis, semel in lacu subalpino.

S. natans L. In demissis, montanis, et subalpinis.

Carex dioica L. In montanis et subalpinis Tiroliae austro-orientalis, in Seiseralpe districtus Kastelrutt; in valle di Duron districtus di Fassa; in Bellamonte districtus di Fiemme, admodum rara.

C. Davalliana Sm. In Tirolia meridionali vulgaris.

C. rupestris All. In alpium regione media et superiore, locis frigidis, in districtu Meranensi; in Stilfserjoch; in districtu di Fiemme; di Fassa; in monte Schleern; ad montem Glockner, et in cetera Pustaria septentrionali, solo calcareo.

C. pauciflora Lightf. In Paneveggio districtus di Fiemme; supra Welschofen districtus Karneid.

C. microglochin Wahlenb. In subalpinis, in Seiseralpe et proxima valle Duron; in alpe Jurabel supra Paneveggio; in Prettau Pustariae septentrionalis.

C. baldensis L. In provincia Brixensi, et finitima Tirolia italica australi et orientem versus, usque ad montem Scanuccia ad laevam Athesis, in subalpinis, montanis, et demissis in regione Oleae cultae.

Carex curvula All.

C. incurva Lightf. In monte Schleern, mihi unico loco visa et post annum 1838 non amplius reperta. ⁹⁸⁾

C. stenophylla Wahlenb. In valle Venosta media. Praestans Botanicus Dr. Tappeiner monstravit prope domum suam in Laas.

C. vulpina L. — *C. muricata L.*

C. divulsa Good. In valle Athesina; in ditione Roboretana; in ditione Brixieni ad lacum Benacum, rario.

C. teretiuscula Good. In valle Venosta; ad lacus di Piné in districtu di Civezzano, locis subalpinis in monte Bondon Tridentinorum; in monte Baldo, infrequens.

C. paniculata L.

C. Schreberi Schr. In ditione Brixieni prope Kolmann; in ditione Roboretana, et in extrema Tirolia australi ad fines Veroneses, rara.

C. leporina L. In demissis, montanis, subalpinis.

C. stellulata Good. C. grypus Schrk. Planta in Flora 1843 p. 242, memorata e Tirolia meridionali erat ex alpibus Judicariensis, et ex districtu di Fassa. C. Grypus est C. stellulatae forma frigida.

C. remota L. In Tirolia meridionali calidiore, passim.

C. elongata L. Supra Ziano in districtu di Fiemme (nec mihi alibi visa).

C. lagopina Wahlenb. In districtu Taufers Pustariae septentrionalis, in alpe Schwarzenbach, et in alpe Weissenbach, ad glacies perennes.

C. canescens L.

C. mucronata All. In Tirolia meridionali finitimaque Italia septentrionali a regione Oleae cultae ad glacies perennes.

C. stricta Good. In demissis calidis et montanis temperatis.

C. caespitosa auctorum. In montanis, subalpinis, alpinis: C. stolonifera Hop. *Obs.* Novationes Neotericorum quorundam utilitatis vacuas confusionis plenas transimus. Cum omnes de nomine et de re convenienti nihil interest, quaenam fuerit planta Auctoris cuiusdam, quamvis foret ipse Linnaeus; Synonymon

enim ejus si ad plantam nostram non pertinet, potest antiquari. Neque ea, quae cl. Kochius de sua *C. caespitosa* (Taschenb p. 542) protulit cum sincera observatione naturae consentire videntur. Siquidem caespites reperiuntur in quibus in altero culmo vaginae inferiores margine in fila fatiscant, in altero mediae, in altero superiores, in altero omnes, in altero nullae, ut anno proxime praeterito in lacu quodam prope Völs observavi.

Carex Vahlii Schk. *C. alpina* Wahlenb: Capsulae glaberrimae („capsulis pubescentibus“ Schk.). In alpibus graniticis in Ulten superiore versus Martellthal et versus Val di Sole. Qua de causa cl. Schkurius capsules pubescentes dixerit, et pinxerit nemo declaravit.

C. nigra All. In alpinis et subalpinis, passim. Spicae etiam in individuis elatioribus sessiles et culmus strictus, quod constans est. Cum itaque nota altera constanter firmat alteram, species quaecumque pro bona habenda est.

C. atrata L. *C. aterrima* Hop. *C. ustulata* Hop. in Sturm Heft 53. In subalpinis et alpinis, passim. *C. aterrima* Hop. locis alpium frigidioribus, e. gr. in Marmolata ad glacies perennes alibiique in districtu di Fassa; in Pustaria septentrionali et contermina Carinthia. *Obs.* Advertendum locis et annis frigidis spicas fructibus minus gravidas, et eadem ex causa pedunculis minus elongatis, minus esse nutantes. Hinc Icones Sturmii Heft 47 minus sunt laudandae spicas in utraque forma nimis erectas sistentes. Ceterae notae quibus separare in species duas nituntur quidam et micrologiae nimis et inconstantes sunt. Culmi non raro, locis minus frigidis occurunt superne scabri, magis minusve, et spicas nutantes sustinentes.

C. irrigua Sm. In alpibus graniticis, Meranensibus; vallis Ulten; in Bellamonte districtus di Fiemme; in Prettau in Pustaria septentrionali.

C. limosa L. In Paneveggio districtus di Fiemme, in Duron districtus di Fassa; in Antenon districtus Karneid.

C. pilulifera L. In Valsugana; in Judicariis.

Carex tomentosa L. In districtu di Fiemme, aliisque locis, riarior.

C. montana L.

C. ericetorum Pollich. C. membranacea Hop. In montanis, subalpinis, alpinis. *Obs.* C. membranacea est: C. ericetorum junior; nec in alpibus glumae in spicis maturis longiores sunt.

C. praecox Jacq. In demissis, montanis, alpinis.

C. longifolia Jacq. Prope Bulsanum ad rivulum⁹⁹⁾; prope Paneveggio in districtu di Fiemme, loco silvatico.

C. humilis Leyss. In demissis, montanis, subalpinis.

C. gynobasis Vill. (nomen barbarum). Prope Tridentum; prope Margreit in valle Athesina; in valle di Vestino.

C. digitata L. — *C. ornithopoda W.* — *C. alba Scop.*

C. nitida Host. In ditione Bulsanensi; in districtu di Fiemme.

C. panicea L.

C. glauca Scop. G. clavaeformis Hp. Ab imis vallium ad summas alpes. Variat aliquantulum, et quare non variet stirps crescentis in humidis et siccis, umbrosis et apricis, in regione Ficus Caricae silvestris et ad nives perennes? Ut in duas species separare possint scriptores, eorum amissi utuntur, Procrustis lecto, definitione nimurum, quae pro arbitrio formas, quibus aliam velint condere speciem, excludat. C. glaucae tribuunt spicas cylindricas, claviformi clavatas. An Icon ipsa Sturmiana (Heft 53) C. glaucae nonne spicam clavatam exhibet? Majus et minus non mutat speciem, et sic nec magis nec minus. Nec in alpibus spica est perpetuo clavata, nec in demissis perpetuo cylindrica. Memorabilis varietas est glumis cuspidatis et aristatis, distincta ab alia forma glumis muticis, acutis, vel obtusis. Variat insuper spicis viridibus, quam formam legi prope Neumarkt in valle Athesina.

C. maxima Scop. Supra Gries in ditione Bulsanensi, loco unico.

C. pallescens L.

C. capillaris L. In alpibus locis siccis, in montibus humi- lioribus locis aquosis.

Carex fuliginosa Schk. In alpibus graniticis Pustariae euro-borealis ad montem Glockner.

C. frigida All. In alpinis, subalpinis, et montanis umbrosis, passim.

C. sempervirens Vill. In demissis, montanis, alpinis, omnium vulgatissima.

C. firma Host. In alpibus editioribus.

C. ferruginea Scop.

C. tenuis Host. In Pustaria orientali; in districtu di Primiero; in Vallarsa prope Roboretum, rarissima.

C. Michelii Host. In demissis calidis, et montanis temperatis, ubique parce.

C. flava L. et *C. Oederi Ehrh.* quae per formas intermedias videntur conjungi. In demissis, montanis, alpinis.

C. fulva Good. — *C. distans L.*

C. Hornschuchiana Hop. *Obs.* Haec non videtur a *C. fulva* satis distincta.

C. sylvatica Huds. In montanis, infrequens; prope Riva in regione Oleae cultae.

C. Pseudocyperus L. Prope Sigmundscron in ditione Bulsanensi; sub Tramin in valle Athesina, rarissima.

C. ampullacea Good. In montanis et subalpinis,

C. vesicaria L. In demissis, et montanis temperatis.

C. paludosa Good. — *C. riparia Curt.*

C. filiformis L. Ad lacum prope Pieve in valle di Ledro.

C. hirta L.

Elyna spicata Schrad. In alpibus et locis septentrioni ob-versis in regione culturae.

Kobresia caricina W. In summis alpibus locis siccis; in montanis in regione culturae in aquosis. Ergo stationes plantarum pendent saepe a temperie, non a sola altitudine supra mare. Frigiditas sicca in alpibus aequalis est frigiditali humidae in demissioribus.

Ficus Carica L. Ad rupes et in saxosis in ditione Bulsanensi, et in tota valle Athesina ad provinciam Veronensem usque, passim; in Valsugana calidore.

Buxus sempervirens L. Prope Riva ad lacum Benacum.

Alnus viridis DC. In alpibus supra abietis terminum, in subalpinis et montanis temperatis, solo granitico et calcareo.

A. incana DC. In subalpinis et montanis, in regione Vitis superiore, hic indigena nec ex alpibus descendens.

A. glutinosa Gaertn. In imo vallium et in montanis temperatis.

Urtica urens L.

U. dioica L. Haec et praecedens hominem in subalpina sequitur ubi stativa habet.

Xanthium strumarium L. In demissis calidioribus.

X. spinosum L. Prope Tusculanum in provincia Brixensi.

Amarantus sylvestris Desf. In agro Bisanensi, frequens.

A. Blitum L. In Tirolia calidore, passim.

A. retroflexus L. In demissis calidis et montanis temperatis.

A. caudatus L. In demissis calidis, ubi in hortis colitur, ad vias, sparsim.¹⁰⁰⁾

Ceratophyllum submersum L. In piscina prope Girsan, in ditione Bisanensi.

C. demersum L. In Tirolia meridionali calidore, et temperato, passim.

Myriophyllum verticillatum L. — *M. spicatum L.*

Poterium Sanguisorba L. P. polygamum W. K. In Tirolia meridionali vulgari. *Obs.* Aut haec duo species distinctae non sunt, aut nostrum est P. polygamum.¹⁰¹⁾

Ostrya carpinifolia Scop. In demissis et montanis calidioribus.

Corylus Avellana L.

Quercus Robur L. Q. pedunculata Ehrh. Q. sessiliflora Sm. Posterior priore in Tirolia meridionali et finitima Italia frequenter, quae formis intermediis conjunguntur. *Obs.* Cl. Link et eum secuti alii inter Germanos putant in devexitate alpium meridionali Q. Roborem raram esse, et Italianam ea prorsus carere. (Conf. Diarium botanicum, in Flora anni 1844 p. 37 et anni 1343 p. 768.)¹⁰²⁾

Quercus pubescens W. In Tirolia cisalpina media frequens, in australiore et contermina Italia septentrionali rarer (conf. iterum Diarium bot. locis cit.). *Obs.* *Quercus Cerris* Koch (Taschenb. p. 459) est *Q. pubescens* foliis utra medium pinnatifidis, interdum pinnis distantibus ala angusta decurrente conjunctis. Prior forma in Tirolia cisalpina media, postrema in Judicariis in confinio provinciae Brixiensis.

Q. Ilex L. Folia subtus albomentosa, incana, canescens, vel viridia parce et brevissime pubescentia, serrata, subintegra et integerrima. In Tirolia maxime australi et conterminis provinciis Veronensi et Brixensi, Oleae cultae socia.

Fagus sylvatica L. Planta soli calcarei, rara solo granitico. Var.: sanguinea, foliis colore hepatico obscuriore vel dilutiore, minus coloratis in umbra reconditis. Per semina propagatur. In editione Roboretana supra Castellano, rarissima et a perito Botanico Cristofori Roboretano primum detecta.

Castanea vulgaris Lam. In montanis calidioribus, quasi sponte, passim.

Betula alba Ehrh. Frequentior solo granitico.

B. pubescens Ehrh. In montanis et subalpinis regionum frigidiorum.

Pinus sylvestris L.

P. Mugus Matthiol. Scop. (Illud h barbaricum scribendi modum sapit.) Planta est montibus calcareis fere propria inviis propemodum „fruticibus his taediosis“ (Wahlenb. carp. LXX). In montibus graniticis cuiuscumque saxi granitici generis rarissima est, oases fere quasdam efformans modicae latitudinis.¹⁰³⁾ Fuerunt qui opinarentur *P. Mugum* esse *P. sylvestris* varietatem. Non est *P. Mugus* forma *P. sylvestris* varians, sed planta ipsis male nota, ut Gallis et Helvetis botanicis praecedentis temporis. Inter myriades innumerabiles individuorum *P. sylvestris* et *P. Mugi*, ubi una crescunt, quod rarum non est, individuum unicum ambiguum non est observare. *Pinus uncinata* Gaud. fl. helv. VI. 185, quo ad definitionem est ipsissima *P. Mugus* squamis in umbone mucronata - aristatis. - Crescit in petrosis, saxosis,

asperis, arenosis siccis, etiam in uliginosis, palustribus, sphagnosis, montes omnes calcareos mediocris altitudinis Tiroliae meridionalis et Italiae septentrionalis coronans, abietis terminum tractu non mediocri superans, inde montium latera vestiens ad Vitis regionem usque imprimis locis umbrosis vel septentrionali obversis.

Pinus Cembra L. In subalpinis regionum frigidiorum usque ad arborum terminum, non ubique.

P. Picea Matthioli. *Du Roi.* **P. Abies Lin.** In montanis et subalpinis in regionibus frigidioribus et temperatis, usque ad arborum terminum; desideratur in calidioribus.

P. Abies Matthioli. *Du Roi.* **P. Picea L.** In regione montana et subalpina inferiore, regionem culturae non multum excedens. *Obs.* Infoste Linneus nomina pervertit. Picem (resinam) copiose fundit *P. Picea*, balsameum liquorem *P. Abies* Linneus cetera summus, in condendis nominibus ipsi dictis trivialibus infelix fuit, quod ea festinatione nimia, arreptis ex scriptoribus, quae casus offerret, verbis non semper ex sinceris fontibus hauriens, effingeret. Nomina Piceae et Abietis debuerat sumi ex iis, quos „assidue habebant pinorum, abietum, picearum et laricum sylvae“ (Matth. Comment. ad Piceam), non ex iis, quibus mutila, tantum cadaverum frustra in herbariis praestabant, quibus ut Linneo ipso, opportunitas negata observandae in natura libera Abietis, non ex Bauhino, apud quem tetra confusio, non ex Dodonaeo, apud quem horrida plantae imago (conf. Reichenb. excurs. in addend. p. 844 Nr. 962 et 963. Plantas non intellexit C. Bauhinus loco a Linneo allegato (Pin. 505), qui postquam ex Theophrasto Abieti mari tribuisset „folia acutiora, magis pungentia“ — quae esset „aspectu crispior“, sic definit: „Abies conis sursum spectantibus sive mas.“ Quid pejus poterat effari a botanico sedentario? Haec Linneo principalis erroris causa. Postiores vero se machinas praestiterunt ejus effatis describendis aptas. Ut a Linneo et C. Bauhino *P. Picea* et *Abies* male intellectae, sic et ab aliis aliae *Pinus* species; sic e. gr. $\pi\epsilon\upsilon\kappa\eta$ Dioscoridis. Ruellius male vertit *Picea*; est enim *Pinus silvestris* vel varietas, vel proxima species, ut luculenter

ex Theophrasto patet, qui $\pi\acute{\epsilon}\nu\kappa\eta\gamma$ dicit aliam domesticam, ex silvestribus alteram maritimam (Hist. plant. lib. 3 cap. 9). Quis dixerit maritimam Pinum Piceam? Cl. Pollinius in flora veronensi vol III. p. 139—40 nomina et res simul confudit.

Pinus Larix L. A regione Vitis ad arborum terminum. Priscis Graecis ignota, Theophrastus ejus non meminit; Dioscorides resinam memorat ex Galliae alpibus quam appellat $\lambda\alpha\rho\iota\kappa\alpha$ (in accusativo casu) et $\lambda\alpha\rho\iota\tilde{\epsilon}$, nec de arbore quidquam habet. Idem resinae larignae nomen etiam Tiroliae italicae incolis usitatum est (larga).

Bryonia dioica Jacq. *Obs.* Sicyos angulatus (male angulata Linné) ex horto cl. Sartorelli in Valsugana, ubi culta, in proxima loca migrans, quasi sponte nascitur.

XXIII. Cl. Dioecia.

Vallisneria spiralis L. In lacu Benaco, praesertim prope Rivam.

Salix pentandra L. In subalpinis in districtu di Primiero, di Fassa, Karneid, in valle di Gardena, in valle di Badia etc. Alibi frequenter culta. *Obs.* Salix cuspidata nobis meridionalibus non bene nota stirps est, et septentrionalium quidem culpa, qui non bene describunt. Distinguunt a S. pentandra ex stipularum forma. S. pentandra silvestris imputata stipulas non habet Rectissime cl. Gaudinus: „stipulae apud nos plane nullae.“ Si S. cuspidata silvestris illaesa stipulas fert, quare ex Germania mittunt specimina sine stipulis? Stipulae in nostra S. pentandra culta et putata sunt minimae glandulae forma ut petiolorum glandulae parvae, majores, semipollicares, et majores, ex linearilanceolatae, lanceolatae, ex lato lanceolatae, ovatae, rectae, obliquae latere exteriore magis convexo, semiovatae et semicordatae. Hae omnes formae promiscue reperiuntur, quin et variae in eadem planta. S. pentandra stamina saepe habet 2 aut 3 aut 4. Planta

in valle Taufers crescents a cl. salicu[m] Tirolensium monographo pro S. cuspidata habita non differt.¹⁰⁴⁾

Salix alba et vitellina L. — S. amygdalina L.

S. daphnoides Vill. In Tirolia cisalpina septentrionali, in valle Pfitsch; in valle Ridnaun districtus Sterzing.¹⁰⁵⁾

S. Pontederana W. In districtu di Fassa. *Obs.* Si quis arbitratus fuerit Salicem Pontederanam, qualis a Kochio describitur, et a Reichenbachio in herbario normali edita est, progenio esse hybridam ex parentibus S. purpurea et S. cinerea, sciat postremam in districtu di Fassa omnino desiderari.¹⁰⁶⁾

S. purpurea L. — S. incana Schr.

S. cinerea L. In Tirolia meridionali, sparsim.

S. salvifolia (Barbaris salviaefolia a corrupto latino salviae folio). In valle di Vestino, in confinio Tiroliae italicae austro-occidentalis et provinciae Brixiensis.

S. phylicifolia L. (phylicaefolia Wulf. barbare). S. nigricans Fries. Koch. S. glabra Scop. Koch. Variat foliis utrinque viridibus, subtus glaucis, vel caesiis, glabris vel in autumnum usque pubescens, stipulis forma variis, maximis, mediocribus, parvis vel nullis. Forma stipulis nullis, quae ex una planta stipulas ferente eligi potest et foliis magis glaucis est S. glabra. Planta carniolica non differt. Folia lucida cum stipulis grandibus sat frequenter. — Quibusdam venit etiam nomine S. arbusculae.

S. grandifolia Ser. In Tirolia meridionali finitimaque Italia vulgaris. — A nostris hujus forma minor, partibus minus evolutis, in frigidioribus crescens, pro S. aurita L. habetur.¹⁰⁷⁾

S. Caprea L. — S. hastata L.

S. repens L. S. angustifolia Wulf. In Tirolia meridionalis montanis et subalpinis, rarer. *Obs.* Quibusnam notis certis hae duae species distinguantur ex scriptorum descriptionibus non liquet. Cl. Kochius tribuit S. repenti suae folia recurvato-apiculata, ad quam Smithii affert S. fusca, cuius folia sunt „apice recta“, et S. repentem ejusdem auctoris foliis „mucronulo brevi recto“ (conf. Smith fl. britann. p. 1060—62).

Salix arbuscula L.

S. Lapponum L. Koch. In alpibus graniticis regionum frigidiorum, passim.

S. glauca L. Koch. In regione alpina inferiore in districtu di Fassa (femina), et contermino districtu di Livinallongo (mas) solo granitico-trappico. *Obs.* Praecedenti nimis affinis, tamen distincta videtur, cum cl. Kochius ipse, salicum monographus, hanc quam il'i nomine *S. Lapponum* miseram, *S. glaucam* nominavit.

S. caesia Vill. In regione subalpina superiore et alpina inferiore in districtu di Livinallongo et contermina valle di Badia Tiroliae austro-orientalis, mas et foemina abunde. In editioribus minor prostrata non florens, in minus editis locis crescit ad rivulos caulis 2-4-pedalibus oblique erectis, densis amplisque cespitibus.

S. Myrsinites L. Var. *S. Jacquiniana* Host. in alpibus Tiroliae austro-orientalis, raro.

S. reticulata L. — *S. retusa L.*

S. herbacea L. In alpibus praesertim graniticis.

Empetrum niyrum L. In alpium catena ditionis Tirolensis in devexitate meridionali, passim, in alpibus australioribus Tirolensis rario.

Viscum album L. In ditione Bulsanensi finitimisque districtibus.

Hippophae rhamnoides L.

Pistacia Terebinthus L. In ditione Bulsanensi; in districtu di Riva ad lacum Benacum.

Humulus Lupulus L.

Tamus communis L.

Populus alba L.

P. canescens Smith. In valle Anania inferiore; in districtu di Stenico.

P. tremula L. — *P. nigra L.*

Mercurialis perennis L. M. ovata Sternb. Hop. *Obs.* Hae quibusdam dictae species per formas intermedias continua progressionem conjunguntur.

Mercurialis annua L.

Hydrocharis morsus ranae L. Prope Salurn in valle Athesina.

Ephedra distachya L. In rupestribus calcareis ad collem Doss Trento prope Tridentum; ad rupes granitico-schistosas prope Schllanders in valle Venosta media. ¹⁰⁸⁾

Ruscus aculeatus L. In ditione Bulsanensi et in cetera Tirolia australiore calidiore passim.

Juniperus communis L. J. nana W. *Obs.* Locis extremis, demissis et alpinis, formae extremae, quae possent pro distinctis speciebus haberet; locis mediis formae mediae, et nimis frequenter ambiguæ, utramque conjungentes.

J. Sabina L. In montanis et subalpinis, in Judicariis prope fines provinciae Bergomensis; in Pustaria orientali prope fines Carinthiae; in districtu di Livinallongo et di Fassa, finitimaque provincia Bellunensi, solo in primis granitico.

Taxus baccata L. In montanis, infrequens.

opus 9032 usw. W. sub. 10d. salmatis sub. 10d. sub. 10d. (10)
B) ab 6. Zeile 12. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12.
dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala.
dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala.
12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala.
12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala.
12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala.
12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala. 12. dala.

Druckfehler.

Seite 9 Zeile 12 v. o. statt: regente lies repente

,, 12 „ 12 v. o. ist (18) zu streichen

,, 65 „ 1 v. o. statt mutante lies nutante

,, 65 „ 9 v. u. statt semipepalis lies semipedalis

,, 66 „ 10 v. o. „ stellatam „ stellatum